An. et vol. CX 3 Augusti 2018 N. 8

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio*: Libreria Editrice Vaticana

ACTA FRANCISCI PP.

ADHORTATIO APOSTOLICA

***Gaudete et Exsultate* de vocatione ad sanctitatem in mundo huius temporis.**

1. Gaudete et exsultate (*Mt* 5, 12), dicit Iesus iis qui persecutionem patiuntiur et humiliantur eius ob causam. Omnia requirit Dominus, et quod praebet vera est vita, beatitudo ad quam creati sumus. Ipse nos sanctos esse vult neque exspectat ad vitam mediocrem, aquatam, dilutam nos conformari. Re quidem vera inde a primis paginis Bibliorum adest diversimode ad sanctitatem vocatio. Sic Dominus Abram eam proposuit: « Ambula coram me et esto perfectus » (*Gn* 17, 1).

2. Non datur hic de sanctitate tractatus, tot cum definitionibus distinctionibusque, hoc magni momenti argumentum completuris, vel cum vestigationibus peragendis quae ad sanctificationis instrumenta spectant. Nostrum humile propositum illuc tendit ut vocatio ad sanctitatem rursus personet, eam ponentes in hodiernis rerum adiunctis, una cum eius discriminibus, provocationibus et opportunitatibus. Quoniam unumquemque nostrum elegit Dominus « ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate » (*Eph* 1, 4).

Caput Primum
VOCATIO AD SANCTITATEM

Sancti nobis animum addunt nosque comitantur

3. In Epistula ad Hebraeos nonnulli testes memorantur qui nos cohortantur ut « per patientiam curramus propositum nobis certamen » (12, 1). Ibi

sermo fit de Abraham, Sara, Moyse, Gedeon et nonnullis aliis (cfr 11, 1-12, 3) ac potissimum invitamur ut agnoscamus nos habere «circumpositam nobis nubem testium» (12, 1), qui nos impellunt ut in via non sistamus, nos concitant ut sequamur ambulantes ad metam. Inter illos et ipsa nostra mater, avia vel aliae propinquae personae annumerari possunt (cfr *2 Tim* 1, 5). Fortasse earum vita haud semper perfecte acta est, sed inter imperfectiones et labes procedere perrexerunt ac Domino placuerunt.

4. Sancti qui in conspectum Dei pervenerunt amoris communionisque vincula nobiscum servant. Apocalypsis liber id testatur, cum de intercedentibus martyribus loquitur: «Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei et propter testimonium, quod habebant. Et clamaverunt voce magna dicentes: "Usquequo, Domine, sanctus et verus, non iudicas?"» (6, 9-10). Effari possumus nos «circumdari, duci ac dirigi a Dei amicis. [...] Id uni ferre non debemus quod revera soli ferre numquam possumus. Dei sanctorum turba Nos tuetur, Nos sustinet, Nos fert».[1]

5. In beatificationis canonizationisque processibus perpenduntur signa virtutum heroum in modum exercitarum, vita per martyrium tradita atque casus in quibus palam propria vita pro aliis usque ad mortem offertur. Haec oblatio Christi eximiam imitationem demonstrat, et fidelium admiratione est digna.[2] Memoramus, exempli gratia, beatam Mariam Gabrielam Sagheddu, quae pro christianorum unitate suam obtulit vitam.

Sancti proximae ianuae

6. Ne cogitemus tantum de his iam beatificatis ac canonizatis. Effundit Spiritus Sanctus sanctitatem quoquoversus in Dei sanctum populum fidelem, quandoquidem «placuit tamen Deo homines non singulatim, quavis mutua connexione seclusa, sanctificare et salvare, sed eos in populum constituere, qui in veritate ipsum agnosceret ipsique sancte serviret».[3] Dominus in salutis historia populum salvavit. Plena identitas non datur sine cuidam populo adhaesione. Itaque nemo solus, viritim seiunctus, salvatur, sed Deus nos attrahit, implicata inter personarum considerans vincula, quae in hominum

[1] Benedictus XVI, *Homilia de sollemni Petrino ministerio incohando* (24 Aprilis 2005): *AAS* 97 (2005), 708.

[2] Quidquid est sanctitatis famam et christianas virtutes saltem ordinarium in modum exercitas adesse prae se fert: cfr Litt. ap. motu proprio datae *Maiorem hac dilectionem* (11 Iulii 2017), art. 2c: *L'Osservatore Romano*, 12 Iulii 2017, p. 8.

[3] Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, 9.

communitate intercedunt: in popularem processum ingredi voluit Deus, in populi processum.

7. Placet Nobis in patientis Dei populo sanctitatem cernere: in parentibus qui suos peramanter liberos colunt, in viris et mulieribus operantibus ut victualia suae domui deferant, in aegrotis, in senioribus religiosis quae subridere pergunt. Hac in constantia ut in dies procedatur militantis Ecclesiae videmus sanctitatem. Sanctitas haec est saepe «proximae ianuae», illorum qui prope nos vivunt ac Dei praesentiam referunt vel, ut alia verba adhibeamus, est «medius ordo sanctitatis».[4]

8. Sanctitatis signis sinamus nos concitari quae Dominus nobis per humiliora membra illius populi ostendit qui «de munere quoque prophetico Christi participat, vivum eius testimonium maxime per vitam fidei ac caritatis diffundendo».[5] Putamus, ut suadet nobis sancta Teresia Benedicta a Cruce, complures per illos veram effici historiam: «In obscurissima nocte summi prophetae sanctique oriuntur. Attamen vivificans torrens mysticae vitae invisibilis perstat. Procul dubio decretorii historiae mundi eventus essentialiter ab animabus sunt affecti, quas historiae volumina prorsus ignorant. Et quae sint animae quibus gratias agere de decretoriis eventibus nostrae ipsorum vitae debeamus, sciemus solummodo die illa qua omnia abscondita revelabuntur».[6]

9. Sanctitas venustissimus est Ecclesiae vultus. Sed etiam extra Catholicam Ecclesiam ac in valde diversis provinciis, Spiritus «signa concitat suae praesentiae, quae ipsos Christi discipulos movent».[7] Ceterum sanctus Ioannes Paulus II nobis hoc innuit: «Qui Christo testimonium reddiderunt usque ad sanguinis effusionem, commune habentur patrimonium inter catholicos, orthodoxos, anglicanos et lutheranos».[8] In pulchra commemoratione oecumenica, quam ille apud amphitheatrum Flavium, interveniente Magno Iubilaeo anni MM, celebrare voluit, affirmavit martyres esse «hereditatem altiore voce loquentem quam divisionis elementa».[9]

[4] Cfr Joseph Malègue, *Pierres noires. Les classes moyennes du Salut*, Paris 1958.

[5] Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, 12.

[6] *Verborgenes Leben und Epiphanie*, *GW* XI, 145.

[7] Ioannes Paulus II, Litt. ap. *Novo millennio ineunte* (6 Ianuarii 2001), 56: *AAS* 93 (2001), 307.

[8] Litt. ap. *Tertio millennio ineunte* (10 Novembris 1994), 37: *AAS* 87 (1995), 29.

[9] *Homilia in Commemoratione oecumenica testium fidei saeculi XX* (7 Maii 2000), 5: *AAS* 92 (2000), 680-681.

Dominus vocat

10. Haec omnia magni sunt ponderis. Attamen in memoriam revocare per hanc Adhortationem in primis volumus ad sanctitatem vocationem, quam unicuique nostrum tendit Dominus, eam quidem vocationem quam ad te quoque dirigit: « Sancti estote, quoniam et ego sanctus sum » (*Lv* 11, 44: 1 *Pe* 1, 16). Id Concilium Oecumenicum Vaticanum II vehementer extulit: « Tot ac tantis salutaribus mediis muniti, christifideles omnes, cuiusvis conditionis ac status, ad perfectionem sanctitatis qua Pater ipse perfectus est, sua quisque via, a Domino vocantur ».[10]

11. « Sua quisque via », Concilium effatur. Ergo non est animo concidendum, cum sanctitatis exempla contemplamur quae attingere videmur non posse. Exstant nempe testificationes quae utiles sunt ad nos concitandos et permovendos, sed non quod eas imitari studeamus, quia id nos etiam avertere potest ab una propriaque via quam nobis destinat Dominus. Tanti est unumquemque credentem suam viam reperire et meliora ex se trahere, proprium quiddam quod posuit in eo Dominus (cfr *1 Cor* 12, 7), atque non amittere vires imitando aliquid sibi non designatum. Omnes ad testimonium reddendum vocamur, at multae sunt re testificationis species.[11] Re quidem vera, cum eximius mysticus sanctus Ioannes a Cruce suum *Canticum spirituale* scripsit, finitas pro omnibus regulas vitare maluit atque explicavit suos versus esse scriptos ut unusquisque « sua ratione » iisdem uteretur.[12] Quoniam vita divina aliis aliter communicatur.[13]

12. Diversas inter species, extollere volumus "femininum ingenium" in femininis sanctitatis rationibus etiam manifestari, necessariis ut in hunc mundum referatur Dei sanctitas. In ipsis etiam aetatibus in quibus mulieres magis secludebandur, Spiritus Sanctus sanctas suscitavit quarum gratia novas spirituales vires ac magni momenti reformationes in Ecclesia concitavit. Memorare possumus sanctam Hildegardem de Bingio, sanctam Birgittam, sanctam Catharinam Senensem, sanctam Teresiam a Iesu vel sanctam Teresiam a Iesu Infante. At volumus prorsus memorare tot incognitas vel oblivione obrutas mulieres quae, sua quaeque pro facultate, familias et communitates suorum testimoniorum vi fulserunt et mutaverunt.

[10] Const. dogm. *Lumen gentium*, 11.
[11] Cfr Hans U. von Balthasar, "Teologia y santidad", *Communio* VI/87, 489.
[12] *Cántico Espiritual* B, Prólogo, 2.
[13] Cfr *ibid.*, XIV-XV, 2.

13. Hoc unumquemque concitare et animum addere debet ad omnem se ipsum tradendum ut adolescat in unum et haud iterabile propositum assequendum quod pro eo a tota aeternitate voluit Deus: « Priusquam te formarem in utero, novi te et, antequam exires de vulva, sanctificavi te » (*Ier* 1, 5).

Pro te quoque

14. Ut sancti sint non est necesse esse episcopos, sacerdotes, religiosos religiosasve. Saepe cogitare inducimur sanctitatem iis tantum destinari qui ab ordinariis occupationibus se subducere possint, ut perdiu precationi vacent. Ita non est. Omnes vocamur ut sancti simus amore viventes, dum unusquisque cotidianis in occupationibus, in loco ubi versatur, suam perhibet testificationem. Esne consecratus vel consecrata? Sanctus esto tuam laetans agens donationem. Esne matrimonio iunctus? Sanctus esto amans et colens maritum vel uxorem, sicut Christus Ecclesiae fecit. Esne operarius? Sanctus esto probe periteque opus tuum pro fratribus perficiens. Esne parens, avus vel avia? Sanctus esto parvulos patienter docens ut Iesum sequantur. Tibine est auctoritas? Sanctus esto operam dans bono communi persequendo ac tua negligens propria lucra.[14]

15. Sine ut Baptismi tui gratia in sanctitatis itinere fructus afferat. Sine ut omnia Deo pateant atque propter hoc Eum elige, Deum usque denuo elige. Ne animo concidas, quoniam Spiritus Sancti virtus tibi est ut hoc fieri possit, atque sanctitas utique fructus Spiritus Sancti est tua in vita (cfr *Gal* 5, 22-23). Cum tentaris et tua imbecillitas tibi blanditur, Crucifixum contuere ac dic ei: « Domine, pauperculus sum ego, sed tu miraculum patrare poteris, ut paulo meliorem me reddas ». In Ecclesia, sancta et peccatoribus constituta, omnia invenire poteris quibus indiges ut ad sanctitatem progrediaris. Eam donis replevit Dominus per Verbum, sacramenta, sanctuaria, communitatum vitam, suorum sanctorum testimonia, necnon multiformem pulchritudinem quae ex Domini amore procedit, « quasi sponsam ornatam monilibus suis » (*Is* 61, 10).

16. Haec sanctitas ad quam te vocat Dominus parvis actibus paulatim adolescit. Exempli gratia: domina quaedam it ad mercatum obsonatura, proximam quandam convenit et loqui incipit, et vituperationes exstant. Sed mulier haec intra se dicit: « Non, minime quemquam vituperabo ». Hic est ad

[14] Cfr *Catechesis* in Audientia generali die 19 Novembris 2014: *Insegnamenti* II, 2 (2014), 555.

sanctitatem gressus. Exinde domi eius filius quaerit ut de eius cogitationibus loquatur atque, quamvis lassa, prope eum sedet atque patienter amabiliterque auscultat. En alia sanctificans oblatio. Experitur porro aliquid aegritudinis, sed recordatur Virginis Mariae amorem, rosarium capit et fide precatur. Alia haec est sanctitatis via. Proinde exit in viam, pauperem invenit et sistit amabiliter loquens cum eo. Hic est alius gressus.

17. Interdum maiores provocationes praebet vita atque per eas ad novas conversiones nos invitat Dominus quae sinunt ut sua gratia melius nostra in exsistentia se ostendat quod « utile est ad participandam sanctitatem eius » (*Heb* 12, 10). Alias solummodo agitur de perfectiore invenienda faciendi ratione vivendi id quod iam facimus: « Sunt mentis motus qui tantummodo tendunt ad extraordinariam perfectionem exercitiorum ordinariorum vitae christianae ».[15] Cum Cardinalis Franciscus Xaverius Nguyên Van Thuân in vinculis esset haud sivit se proterere, liberationem opperiens. Hoc elegit: « Praesens tempus vivo, id amore replens »; et id re conficiebatur hoc modo: « Occasiones nanciscor quae cotidie obveniunt, ut res ordinarias extraordinaria ratione compleam ».[16]

18. Sic gratiae divinae instinctu, pluribus actibus sanctitatis imaginem illam fingimus quam voluit Deus, at non tamquam ii qui sibi sufficiunt, sed « sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei » (*1 Pe* 4, 10). Probe docuerunt Novae Zelandiae Episcopi amare posse sine condicione amore Domini, quia Resuscitatus suam potentem vitam cum nostris debilibus vitis communicat: « Eius amor fines non habet ac semel datus numquam est revocatus. Sine condicionibus fuit et fidelis mansit. Sic amare non est facile, quia pluries perquam debiles sumus. Sed, utique ut quomodo Christus nos amavit amare nos possimus, Christus suam ipsam vitam participat nobiscum resuscitatam. Hoc modo nostra vita agens suam ostendit potentiam, etiam in humana debilitate ».[17]

Tua in Christo missio

19. Fieri non potest ut christianus de sua missione in terra cogitet quin ad sanctitatis iter eam teneat, quoniam « haec est enim voluntas Dei, sanctifi-

[15] S. Franciscus de Sales, *Trattato dell'amore di Dio*, VIII, 11: *Opere complete di Francesco di Sales*, IV, Roma 2011, 468.

[16] *Cinque pani e due pesci: Dalla sofferenza del carcere una gioiosa testimonianza di fede*, Milano 2014, 20.

[17] Conferentia Episcoporum catholicorum Novae Zelandiae, Healing love, 1 Ianuarii 1988.

catio vestra » (*1 Thess* 4, 3). Quisque sanctus est missio; est consilium Patris ut, in historiae certo tempore, referatur et efficiatur quaedam Evangelii facies.

20. Talis missio in Christo penitus adimpletur et ab Eo initio sumpto solummodo intellegi potest. Demum sanctitas est in coniuctione cum Eo vitae eius mysteria vivere. Coniungi sibi vult cum morte ac resurrectione Domini una et personali ratione, constanter mori et resuscitari cum Eo. Se etiam complecti potest propria in exsistentia diversas terrestris Iesu vitae facies producendas: eius vitam absconditam, vitam communitariam, ultimis proximitatem, paupertatem ac ceteras suae donationis propter amorem manifestationes. Horum mysteriorum contemplatio, ut asseverabat sanctus Ignatius de Loyola, nos dirigit ut ea mysteria in nostris electionibus ac moribus carnem faciamus.[18] Quoniam « totum in vita Iesu signum est Eius mysterii »,[19] « tota Christi vita est Revelatio Patris »,[20] « Tota Christi vita mysterium est Redemptionis »,[21] « Tota vita Christi Recapitulationis est mysterium »,[22] atque « Christus facit ut quidquid Ipse vita transegit, nos vita nostra in Eo geramus et Ipse vita sua in nobis gerat ».[23]

21. Patris consilium est Christus, et nos in Eo. Christus est denique qui in nobis amat, quia « sanctitas nihil est aliud nisi caritas plane retenta ».[24] Itaque « sanctitatis mensura ex statura exstat quam attingit in nobis Christus, ex quo, Spiritus Sancti virtute, omnem nostram in eius vita fingimus ».[25] Sic quisque sanctus est nuntius quem ex Iesu Christi divitiis deducit Spiritus Sanctus eiusque populo donat.

22. Ut noscamus quale sit verbum quod per sanctum vult enuntiare Dominus, in particulis sistere non attinet, quandoquidem ibi errores et lapsus inveniri possunt. Non omnia quae dicit sanctus plane cum Evangelio congruunt, non omnia quae agit sunt vera ac perfecta. Contemplari oportet in universum eius vitam, totum eius sanctificationis iter, imaginem illam quae Iesu Christi aliquid refert et exprimitur cum componitur sensus totius eius personae.[26]

[18] Cfr *Exercitia spiritualia*, 102-312.
[19] *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, 515.
[20] *Ibid.*, 516.
[21] *Ibid.*, 517.
[22] *Ibid.*, 518.
[23] *Ibid.*, 521.
[24] Benedictus XVI, *Catechesis* in Audientia generali die 13 Aprilis 2011: *Insegnamenti* VII (2011), 451.
[25] *Ibid.*, 450.
[26] Cfr Hans U. von Balthasar, "Teología y santidad", *Communio* VI/87, 486-493.

23. Gravis quidem est id cunctis nobis revocatio. Oportet etiam tu totam tuam vitam uti missionem concipias. Id age Deum in oratione auscultans ac signa agnoscens quae Ipse tibi praebet. A Spiritu indesinenter roga quid ex te quaerat quocumque vitae tempore Iesus et in quacumque re tibi eligenda, ad intellegendum locum quem tua in missione id obtinet. Sine ut in te illud personale mysterium fingat, quod in hodierno mundo Iesum Christum reddere possit.

24. Utinam illud verbum, illum Iesu nuntium agnoscere possis quem mundo tradere tuam per vitam vult Deus. Sine ut Spiritus te mutet, te renovet, ut id fiat, et sic tua magni ponderis missio ne pereat. Dominus tuos etiam inter errores et mala momenta eam complebit, dummodo amoris viam ne deseras et eius supernaturali operae usque pateas quae purificat ac illuminat.

De sanctificanti opera

25. Quoniam Christus intellegi non potest sine Regno quod ille detulit, ab hoc Regno aedificando ipsa tua missio seiungi non potest: « Quaerite autem primum regnum Dei et iustitiam eius » (*Mt* 6, 33). Eo quod Christo aequaris eiusque desideriis, id requirit munus aedificandi, una cum Eo, hoc amoris, iustitiae ac pro omnibus pacis Regnum. Ipse Christus tecum experiri vult, omnibus in conatibus et detractionibus necessariis, atque etiam in laetitiis ac fecunditate, quas tibi offert. Itaque sanctus haud fies quin corpus animamque dedas meliora tui traditurus in hoc munere explendo.

26. Probum non est silentium diligere et convenire alterum vitare, quietem optare et actionem recusare, precationem requirere et minus servitium aestimare. Omnia accipi possunt et inseri ut pars propriae exsistentiae in hoc mundo, et itineri sanctificationis adduntur. Vocati sumus ad contemplationem etiam in agendo tenendam et sancti efficimur in responsali liberalique officio nostrae missionis.

27. Num Spiritus Sanctus ad missionem complendam nos mittere potest et eodem tempore ex nobis quaerere ut ab ea declinemus, vel ut nos totos dedere vitemus ad interiorem pacem servandam? Attamen interdum in tentationem incidimus ut pastoralem operam et in mundo munus in secundum locum reiciamus, veluti si « animi evagationes » essent in sanctificationis interiorisque pacis itinere. Obliviscimur « vitam non habere missionem, sed eam esse missionem ».[27]

[27] Xavier Zubiri, *Naturaleza, historia, Dios*, Madrid 1999^3, 427.

28. Officium anxietate, superbia, comparendi dominandique necessitate actum, procul dubio non perducit ad sanctitatem. Provocamur ad nos tradendos ita ut conatus evangelico sensu notentur ac magis magisque ad Christum nos coaequent. Dehinc, exempli gratia, de catechistae, cleri dioecesani, operis spiritualitate disseri solet. Eadem ratione in Adhortatione apostolica *Evangelii gaudium* missionis spiritualitate, in Litteris encyclicis *Laudato si'* spiritualitate oecologica et in Adhortatione apostolica *Amoris laetitia* vitae familiaris spiritualitate ad finem pervenire voluimus.

29. Id minime vult requietis, solitudinis ac coram Deo silentii tempora respuere. E contrario. Quandoquidem technologica instrumenta usque innovata, itinerum invitamenta, innumerae consumptionis oblationes, interdum vacua spatia haud relinquunt in quibus Dei vox personet. Omnia verbis, levibus voluptatibus ac rumoribus usque celerius complentur. Ibi non perstat laetitia, sed displicentia illius qui nescit qua ratione vivit. Quidni non agnoscamus oportere ut hanc fervidam festinationem sistamus, ut personale spatium recuperetur, nonnumquam dolens at semper fecundum, in quo sincerus cum Deo dialogus instituitur? Aliquo temporis puncto nostram veritatem palam conspicere debemus, sinentes ut eam invadat Dominus, et non semper id acquiritur nisi quis « cernat se manere in margine abyssi, gravioris temptationis, in desertionis scopulis, in cacumine solitario, ubi prorsus esse solus sibi videtur ».[28] Hoc modo magna argumenta reperimus ad nostra munera funditus experienda.

30. Eadem levamenti animi instrumenta quae hodiernam vitam pervadunt nos etiam inducunt ut otium absolute consideremus, in quo infinite subsidia illa adhibeamus quae fluxa oblectamenta voluptatesque ministrant.[29] Sequitur ut propria missio afficiatur, officium debilitetur, studiosus propensusque famulatus angustetur. Hoc spiritualem experientiam vitiat. Num sanus esse potest spiritualis fervor qui cum desidia coniungitur in evangelizandi aliisque inserviendi opera?

31. Nobis opus est sanctitatis spiritu qui tum solitudinem tum famulatum imbuat, tum interiorem partem tum evangelizandi munus, ita ut singula momenta signa sint donati amoris sub Domini oculis. Hac ratione omnia momenta gradus erunt nostrae sanctificationis viae.

[28] Carlo M. Martini, *Le confessioni di Pietro*, Cinisello Balsamo 2017, 69.

[29] Hoc inane animi levamentum a sano otii cultu seiungendum est, qui alii rebusque in spiritu liberalitatis et contemplationis patet.

VIVIORES, HUMANIORES

32. Ne timeas sanctitatem. Vires, vitam laetitiamque non auferet. Omnino e contrario, quia is eris quem cogitavit Pater, cum te creavit et tibi ipsi eris fidelis. Ab Eo pendentes a servitutibus liberamur ac nostram dignitatem agnoscimus. Haec referuntur in sancta Iosephina Bakhita quae «serva facta est et in hac condicione venundata puella septem annos nata, multa a diris dominis passa est. Attamen altam veritatem percepit Deum esse, non hominem, verum cuiusque hominis, cuiusque humanae vitae dominum. Haec experientia facta est fons magnae sapientiae huic Africae humili filiae».[30]

33. Quisque christianus, quatenus sanctificatur, mundo fit fecundior. Episcopi Africae Occidentalis hoc nos docuerunt: «In novae evangelizationis spiritu evangelizari et evangelizare vocamur per omnium baptizatorum provectionem, ut vestra officia assumatis tamquam sal terrae et lux mundi, ubicumque sitis».[31]

34. Ne timeas altiora petere, amari nempe et liberari a Deo. Ne timeas a Spiritu Sancto regi. Non minus humanum te reddit sanctitas, quia tua debilitas gratiae robori obviam it. Demum, ut asseverabat Leo Bloy, in vita «una datur aegritudo, [...] sanctos non esse».[32]

CAPUT SECUNDUM
DUO EXILES SANCTITATIS INIMICI

35. Hoc in rerum adspectu, mentem dirigere volumus in duas sanctitatis falsas species, quae efficere possunt ut de itinere deerremus: gnosticismum et pelagianam doctrinam. Duae sunt haereses, quae primis christianis saeculis exortae sunt, sed hodie minanter invalescere pergunt. Hodie quoque complurium christianorum corda, fortasse inscienter, fallacibus his illecebris alliciuntur. In iis immanentismus anthropocentricus exprimitur catholica veritate indutus.[33] Duas has species securitatis doctrinae vel disciplinae inspi-

[30] S. IOANNES PAULUS II, *Homilia in canonizationis Missa* (1 Octobris 2000), 5 *AAS* 92 (2000), 852.

[31] CONFERENTIA EPISCOPALIS REGIONALIS AFRICAE OCCIDENTALIS, *Nuntius pastoralis sub finem II Congressionis plenariae,* 29 Februarii 2016, 2.

[32] *La donna povera*, II, 27, Regii Lepidi 1978, 375.

[33] Cfr CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Litt. *Placuit Deo* Episcopis Catholicae Ecclesiae de quibusdam adspectibus christianae salutis (22 Februarii 2018), 4: *L'Osservatore Romano*, 2 Martii 2018, pp. 4-5: «Cum individualismus neopelagianus tum contemptus neognosticus corporis fidei confessionem deformant in Christum, Salvatorem unicum et universalem». Hoc in documento doctrinae fundamenta reperiuntur ad christianam salutem intellegendam coram aberrationibus neognosticis ac neopelagianis nostri temporis.

ciamus quae inducunt « elitarismum Narcissianum imperiosum, ubi pro evangelizatione perpenduntur et in ordinem rediguntur ceteri, atque pro gratia facile adeunda vires in inquirendum insumuntur. In utroque casu, neque Iesus Christus neque alii vere respiciuntur ».[34]

Gnosticismus hodiernus

36. Gnosticismus sibi vult « fidem subiectivismo conclusam, ubi certa quaedam experientia respicitur vel argumentationum series et cognitiones quae roborare illuminareque putantur, sed tandem subiectum suae ipsius rationis vel affectionum immanentia saepitur ».[35]

Mens sine Deo ac sine carne

37. Gratias Deo, historiae Ecclesiae decursu perliquido exstitit personarum perfectionem metiri earum caritatis gradum, haud elementorum et cognitionum quantitatem quae coacervari possunt. "Gnostici" hoc confundunt et alios iudicant secundum facultatem intellegendi certarum doctrinarum altitudinem. Mentem cogitant sine incarnatione, quae patientem Christi in aliis carnem tangere non valet, encyclopaedia abstractionum coartatam. Tandem mysterio carne destituto, malunt « Deum sine Christo, Christum sine Ecclesia, Ecclesiam sine populo ».[36]

38. In summa, agitur de vana levitate: multo motu in summa mentis parte, qui tamen non movet neque cogitationis altitudinem commovet. Attamen quosdam fallaci fascinatione allicit, quia gnostica aequabilitas est formalis et aseptica esse vult, atque speciem exhibere potest cuiusdam congruentiae vel ordinis qui omnia complectitur.

39. Sed animum intendamus. Haud mentem ad rationalistas, Ecclesiae inimicos, convertimus. Id intra Ecclesiam accidere potest, cum inter laicos paroeciarum, tum inter eos qui philosophiam vel theologiam docent in educationis institutis. Quandoquidem proprium est quoque gnosticorum credere suas per explanationes se facere posse ut tota fides totumque Evangelium plane intellegatur. Proprias disciplinas putant absolutas et aliis imperant ut suis argumentationibus concedant. Aliud est sanus humilisque rationis usus ad theologicam moralemque Evangelii doctrinam ponderandam; aliud est

[34] Adhort. ap. *Evangelii gaudium* (24 Novembris 2013), 94: *AAS* 105 (2013), 1060.

[35] *Ibid.*: *AAS* 105 (2013), 1059.

[36] *Homilia Missae apud Domum S. Marthae*, 11 Novembris 2016: *L'Osservatore Romano*, 12 Novembris 2016, p. 8.

Iesu doctrinam ad frigidam rigidamque logicam redigere velle quae omnia dominari studet.[37]

Doctrina sine mysterio

40. Gnosticismus pessima est ideologia, quoniam, dum immerito cognitionem vel certam experientiam extollit, arbitratur propriam rerum considerationem esse perfectionem. Hac ratione, fortasse inconsulto, haec ideologia se ipsam alit et magis caeca fit. Interdum praecipue fallax fit cum speciem induit spiritualitatis corpore abstractam. Etenim gnosticismus « sua ipsius natura mysterium mansuefacere vult »,[38] tum Dei eiusque gratiae mysterium, tum vitae aliorum mysterium.

41. Cum quis cunctis interrogationibus respondet, demonstrat viam se calcare non bonam et fieri potest ut falsus sit propheta, rationem proprio commodo adhibeat, propriis figmentis psychologicis ac mentis inservientem. Deus nos infinite superat, usque praevenit et non decernimus nos in qua historiae vice eum inveniamus, eo quod ex nobis non pendet statuere quando, ubi, quomodo eum conveniamus. Qui vult ut omnia sint manifesta et secura Dei transcendentiae dominari praesumit.

42. Ne praesumi quidem potest definire ubi Deus non inveniatur, quia Ipse arcano in omnium personarum vita adest, in vita cuiusque sicut Ipse vult, atque nostris putatis certitudinibus hoc negare non possumus. Etiam si alicuius exsistentia sit calamitosa, etiam si vitiis ac ligaminibus sit obnoxius, Deus eius in vita adest. Si nos sinimus Spiritu magis quam nostris argumentationibus duci, in omni hominum vita Dominum quaerere possumus ac debemus. Id ad mysterium attinet quod gnosticae mentes denique respuunt, quandoquidem illud moderari non possunt.

Rationis fines

43. Perexigue veritatem nos comprehendimus quam a Domino recipimus. At magis difficulter eam exprimere valemus. Quapropter praesumere non possumus rationem qua eam intellegimus nobis permittere ut aliorum vitam arte moderemur. Memorare volumus in Ecclesia legitime una adesse

[37] Ut sanctus Bonaventura docet, « oportet quod relinquantur omnes intellectuales operationes, et apex affectus totus transferatur et transformetur in Deum. [...] Quoniam igitur ad hoc nihil potest natura, modicum potest industria, parum est dandum inquisitioni, et multum unctioni; parum dandum est linguae, et plurimum internae laetitiae; parum dandum est verbo et scripto, et totum Dei dono, scilicet Spiritui Sancto; parum aut nihil dandum est creaturae, et totum creatrici essentiae, Patri et Filio et Spiritui Sancto » (*Itinerarium mentis in Deum*, VII, 4-5).

[38] *Epistula Magno Cancellario Pontificiae Universitatis Catholicae Argentinae de Centenario Facultatis Theologicae* (3 Martii 2015): *L'Osservatore Romano*, 9-10 Martii 2015, p. 6.

diversas rationes interpretandi multas doctrinae et vitae christianae facies quae, earum in varietate, « iuvant melius explicare locupletissimum Verbi thesaurum ». Vero, « iis qui somniant monolithicam doctrinam ab omnibus sine varietatibus defensam, id imperfecta dissipatio videri potest ».[39] Reapse nonnullae gnosticae disciplinae simplicitatem adeo concretam Evangelii spreverunt et Deum trinitarium et incarnatum pro superiore Unitate substituere sunt conati, in qua dives nostrae historiae multiplicitas excidebat.

44. Re quidem vera, doctrina, vel potius nostra ipsius comprehensio et expressio, « non est seclusum quiddam, viribus carens quae interrogationes, dubia, percontationes gignere valent », atque « nostri populi interrogationes, eius angustiae, eius pugnae, eius somnia, eius contentiones, eius curae, vim explanatoriam habent quam ignorare non possumus, si serio animo incarnationis principium recipere volumus. Eius percontationes ad nos percontandos iuvant, eius interrogationes nos interrogant ».[40]

45. Saepenumero periculosa fit confusio: credimus, quoniam aliquid scimus vel quadam certa logica id explicare possumus, iam nos esse sanctos, perfectos, meliores "indocta multitudine". Illos omnes, qui in Ecclesia altius institui possunt, sanctus Ioannes Paulus II de temptatione monebat ne admittant ut « quadamtenus se reliquis fidelibus superiores esse sentiant ».[41] Reapse tamen id quod scire credimus rationem usque constituere debet melius Dei amori respondendi, quia « ad vivendum discitur: theologia et sanctitas binomium sunt inseparabile ».[42]

46. Cum sanctus Franciscus Assisiensis cernebat nonnulos suos discipulos doctrinam docere, vitare voluit gnosticismi temptationem. Ideo sancto Antonio Patavino scripsit: « Placet mihi quod sacram theologiam legas fratribus, dummodo inter huius studium orationis et devotionis spiritum non exstinguas ».[43] Noverat ipse temptationem experientiam christianam convertendi in mentis figmentorum coacervationem quae tandem nos ab Evangelii viriditate abducerent. Sanctus Bonaventura, altera ex parte, autumabat veram christianam sapientiam a misericordia in proximum seiungi non posse: « Maior sapientia, quae possit esse, est, quod dispensator fructuose expendat

[39] Adhort. ap. *Evangelii gaudium* (24 Novembris 2013), 40: *AAS* 105 (2013), 1037.

[40] *Nuntius televisificus congressui internationali Theologiae Pontificiae Universitatis Catholicae Argentinae* (1-3 Septembris 2015): *AAS* 107 (2015), 980.

[41] Adhort. ap. postsyn. *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 38: *AAS* 88 (1996), 412.

[42] *Epistula Magno Cancellario Pontificiae Universitatis Catholicae Argentinae de Centenario Facultatis Theologicae* (3 Martii 2015): *L'Osservatore Romano*, 9-10 Martii 2015, p. 6.

[43] *Epistula ad sanctum Antonium*, 2: FF 215.

quae habet dispensare, et tradita sunt ei ad dispensandum. [...] Ideo sicut misericordia amica est sapientiae, sic avaritia est inimica».[44] «Quaedam est actio quae iuncta contemplationi non eam impedit, sed faciliorem facit, ut sunt opera misericordiae et pietatis».[45]

Pelagii hodierna doctrina

47. Gnosticismus aliam veterem haeresim induxit, quae etiam hodie adest. Progrediente tempore, multi agnoscere coeperunt haud cognitionem nos facere meliores vel sanctos, sed vitam quam ducimus. Quaestio est hoc subtiliter ita degeneravisse ut idem error gnosticorum plane sit conversus, sed non exstinctus.

48. Etenim facultatem quam gnostici intellectui tribuebant, nonnulli adscribere coeperunt voluntati humanae, personali conatui. Sic pelagiani ac semipelagiani exstiterunt. Iam non intellectus mysterii ac gratiae obtinebat locum, sed voluntas. In oblivionem veniebat cuncta esse «non volentis neque currentis, sed miserentis Dei» (*Rom* 9, 16) et quod «Ipse prior dilexit nos» (*1 Io* 4, 19).

Voluntas sine humilitate

49. Qui huius mentis pelagianae vel semipelagianae sunt, quamvis de Dei gratia mollitis sermonibus loquantur, «tandem propriis viribus solummodo nituntur atque superiores aliis se putant, cum certas normas servent vel cuidam vivendi catholicae rationi firmiter sint fideles».[46] Cum eorum nonnulli ad debiles convertuntur, dicentes eis Dei gratia omnia esse possibilia, cogitationem demum inferre solent omnia per humanam voluntatem effici posse, perinde ac si aliquid puri, perfecti, omnipotentis ipsa esset, cui gratia additur. Illud ignorare praetendunt: «Non omnes omnia possunt»[47] et in hac vita humanae fragilitates non funditus ac definite gratia sanantur.[48] Quovis casu, ut docet sanctus Augustinus, Deus te «admonet et facere quod possis et petere quod non possis»;[49] vel humiliter Domino dicere: «Da quod iubes et iube quod vis».[50]

[44] *Collationes de donis Spiritus Sancti*, 9, 15.

[45] Id., *In Librum IV sententiarum*, 37, 1, 3, ad 6.

[46] Adhort. ap. *Evangelii gaudium* (24 Novembris 2013), 94: *AAS* 105 (2013),1059.

[47] Cfr S. Bonaventura, *De sex alis Seraphim*, 3, 8: «Non omnes omnia possunt». Intellegi debet sub lumine *Catechismi Catholicae Ecclesiae*, 1735.

[48] Cfr S. Thomas Aquinas, *Summa Theologiae*, I-II,109,9, ad 1: «Hic autem aliqualiter gratia imperfecta est, in quantum hominem non totaliter sanat, ut dictum est».

[49] *De natura et gratia*, xliii, 50: *PL* 44, 271.

[50] *Confessiones*, x, 29, 40: *PL* 32, 796.

50. Postremo eo quod sincere, patienter precanterque nostros fines non agnoscimus, id impedit quominus melius in nobis agat gratia, quoniam non dat locum bonum possibile gignendi quod in sincero realique incrementi itinere perficitur.[51] Gratia quippe quae nostram naturam prae se ferat, non extemplo nos superiores homines reddit. Si id quaerimus, nimis nobismet ipsis fidimus. Hoc in casu, propter orthodoxiam, nostri mores ad id respondere non possunt quod de gratiae necessitate autumamus, atque re demum parum ei confidimus. Etenim si nostram certam finitamque condicionem non agnoscimus, ne videre quidem possumus reales possibilesque gressus quos singulis momentis ex nobis quaerit Dominus, postquam suo dono idoneos nos reddidit et allexit. Gratia historice agit et, plerumque, nos recipit atque gradatim transformat.[52] Itaque si hanc historicam ac progredientem rationem reicimus, re eam negare et intercludere possumus, etiamsi nostris verbis eam extollimus.

51. Cum Deus ad Abram se convertit ei dicit: « Ego Deus omnipotens, ambula coram me et esto perfectus » (*Gn* 17, 1). Ut perfecti simus, ut Ei placet, necesse habemus coram Eo humiliter nos vivere, eius gloria involuti; oportet cum Eo coniuncti ambulemus, Eius amorem constantem nostra in vita agnoscentes. Necesse est huius praesentiae metum deserere, quae bonum nobis tantum afferre potest. Est Pater qui nobis dedit vitam nosque tantopere amat. Si tandem eum accipimus atque sine Eo nostram exsistentiam cogitare desistimus, solitudinis aegritudo dissipatur (cfr *Ps* 139, 7). Et si inter nos et Deum intervalla non ponimus Eiusque in praesentia vivimus, sinere Ei possumus, ut cor nostrum introspiciat, inspecturus an rectam viam teneat (cfr *Ps* 139, 23-24). Sic amabilem perfectamque Domini voluntatem cognoscimus (cfr *Rom* 12, 1-2) et sinimus ut Ipse tamquam figulus nos fingat (cfr *Is* 29, 16). Pluries diximus Deum in nobis habitare, sed melius est effari nos in Eo habitare, Eum sinere nos sua in luce suoque in amore vivere. Ipse nostrum est templum: « Unum petii a Domino, hoc requiram: ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae » (*Ps* 27, 4). « Melior est dies una in atriis tuis super milia » (*Ps* 84, 11) in domo mea. In Eo sanctificamur.

Ecclesiae doctrina saepe oblivioni data

52. Pluries Ecclesia docuit nostris operibus nostrisve conatibus non iustificari nos, sed gratia Domini qui primus agit. Ecclesiae Patres, etiam ante

[51] Cfr Adhort. ap. *Evangelii gaudium* (24 Novembris 2013), 44: *AAS* 105 (2013), 1038.

[52] Fides christiana intellegit gratiam uti praevenientem, comitantem et subsequentem nostras actiones (cfr Conc. Oecum. Tridentinum, sess. VI, Decr. *De iustificatione*, cap. 5: *DH*, 1525).

sanctum Augustinum, plane hanc primariam persuasionem manifestarunt. Sanctus Ioannes Chrysostomus affirmabat fontem ipsum omnium donorum in nos derivare Deum « antequam in pugnam ingrediamur ».[53] Sanctus Basilius Magnus confirmabat fidelem Deo solummodo gloriari, quoniam « agnoscit se vera iustitia carere et per fidem in Christum tantum iustificari ».[54]

53. Concilium Arausicanum II firma auctoritate docuit nullum hominem gratiae divinae donum exigere, mereri vel emere posse atque quod cum ea cooperari potest in antecessum eiusdem gratiae esse donum: « Ut etiam purgari velimus, per Sancti Spiritus infusionem et operationem in nos fieri confitetur ».[55] Posterius Concilium Tridentinum, etiam cum momentum extulit nostrae cooperationis ad spirituale incrementum obtinendum, doctrinam illam dogmaticam confirmavit: « Gratis autem iustificari ideo dicamur, quia nihil eorum, quae iustificationem praecedunt, sive fides, sive opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur; "si enim gratia est, iam non ex operibus; alioquin (ut idem Apostolus inquit) gratia iam non est gratia" (*Rom* 11, 6) ».[56]

54. Etiam Catechismus Catholicae Ecclesiae nobis illud memorat: donum gratiae « facultates superat intelligentiae et vires voluntatis humanae »[57] atque « coram Deo, in sensu stricti iuris, meritum ex parte hominis non habetur. Inter Eum et nos inaequalitas mensura caret ».[58] Eius amicitia nos infinite supergreditur, comparari nostris operibus a nobis non potest et eius amoris operantis donum solummodo esse potest. Hoc non invitat ut laeto gratoque animo hoc donum teneamus, quod numquam meremur, eo quod cum « iam aliquis habet gratiam, non potest gratia iam habita sub merito cadere ».[59] Sancti suis actibus confidere vitant: « Huius vitae vesperi coram te manibus vacuis ero, quia ex te, Domine, non quaero ut mea opera numeres. Omnis nostra iustitia tuis oculis est imperfecta ».[60]

55. Haec est una ex magnis persuasionibus, quas Ecclesia decretorie adepta est, et quae tam lucide in Dei Verbo exprimitur ut omnes disputationes praetergrediatur. Sic ut supremum amoris mandatum, haec veritas nostram vivendi rationem afficere debet, quia ex intimo Evangelio haurit

[53] *Homiliae in Epistulam ad Romanos*, 9, 11: *PG* 60, 470.
[54] *Homilia de humilitate*: *PG* 31, 530.
[55] Canon 4: *DH* 374.
[56] Sess. VI, Decr. *De iustificatione*, cap. 8: *DH* 1532.
[57] N. 1998.
[58] *Ibid.*, 2007.
[59] S. Thomas Aquinas, *Summa Theologiae*, I-II,114, 5.
[60] S. Teresia a Iesu Infante, "Mea ipsius oblatio ut Victima Holocausti Amori Misericordi Boni Dei" (Orationes, 6), *Opere complete*, Roma 1997, 943.

et non modo ad eam recipiendam mente nos vocat, sed ad eam in contagiosam laetitiam commutandam. Sed grato animo gratuitum munus amicitiae cum Domino celebrare non possumus, si nostram quoque terrestrem exsistentiam necnon nostras naturae facultates esse donum non agnoscimus. Necesse habemus « laetanter agnoscere nostram realitatem doni esse fructum, et nostram quoque libertatem ut gratiam suscipere. Hoc hodie difficile est, in mundo qui putat per se ipsum aliquid possidere, propriae singularitatis libertatisve fructum ».[61]

56. Solummodo a Dei dono, libere suscepto humiliterque accepto, initium sumentes, cooperari nostris conatibus possumus, ut magis magisque nos transformari sinamus.[62] Primum est ad Deum pertinere. De nobis Ei tradendis agitur, qui nos antecedit, de nostris facultatibus Ei dandis, nostro studio, nostra adversum malum pugna et nostra ingenii vi, ut eius gratuitum donum adolescat et in nobis augeatur: « Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem » (*Rom* 12, 1). Ceterum semper Ecclesia docuit per solam caritatem in gratiae vita fieri posse incrementum, quandoquidem si « caritatem autem non habuero, nihil sum » (*1 Cor* 13, 2).

Novi pelagiani

57. Sunt adhuc christiani qui aliam semitam calcare student: scilicet iustificationis per proprias vires, adorationis humanae voluntatis ac propriae facultatis quae in sui ipsius pervenit oblectationem egocentricam et selectivam, vero amore carentem. In multis habitibus manifestatur qui inter se specie dissident: ultra modum lex extollitur, res sociales ac politicae adeptae exhibentur, liturgiae, doctrinae et Ecclesiae decoris cura ostenditur, negotia re tractata iactantur, sui ipsius auxilium actum et in se recidens effectus attrahitur. In hoc nunnulli christiani suas vires tempusque insumunt, potius quam a Spiritu in amoris via perduci sinant, potius quam studeant pulchritudini et Evangelii laetitiae communicandae et perditis requirendis in immensis multitudinibus Christum sitientibus.[63]

58. Saepenumero, contra Spiritus impulsum, Ecclesiae vita in musei mo-

[61] Lucio Gera, "Sobre el misterio del pobre", in P. Grelot-L.Gera-A.Dumas, *El Pobre*, Buenos Aires 1962, 103.

[62] Haec est tandem doctrina catholica de "merito" post iustificationem: agitur de iustificati cooperatione ad gratiae vitam augendam (cfr *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, 2010) at haec coooperatio nullo pacto efficit ut ipsa iustificatio et cum Deo amicitia humani meriti fiant obiectum.

[63] Cfr Adhort. ap. *Evangelii gaudium* (24 Novembris 2013), 95: *AAS* 105 (2013), 1060.

numentum vel paucorum possessionem commutatur. Id accidit cum quidam christiani manipuli nimium ponunt pondus certis in normis, moribus vel rationibus observandis. Hoc modo saepe extenuatur et coartatur Evangelium, ab eo alliciente eius simplicitate ac sale detractis. Agitur fortasse de exili pelagianae doctrinae specie, quoniam gratiae vitam in quasdam humanas structuras subigere videtur. Id manipulos, motus et communitates respicit, idque explicat cur saepenumero ex Spiritus flagranter incohata vita in rigorem ... vel corruptelam recidant.

59. Inscientes, eo quod omnia ex humano conatu pendere putamus, qui per normas ecclesialesque structuras dirigitur, Evangelium implicamus et forma quadam arte detinemur, quae parum dat loci agenti gratiae. Sanctus Thomas Aquinas nos monebat addita Evangelio ab Ecclesia praecepta modice esse exigenda « ne conversatio fidelium onerosa reddatur »,[64] quoniam sic nostra religio in servitutem mutatur.

Legis compendium

60. Ad hoc vitandum, bonum est saepe memorare virtutes habere ordinem, qui ad praecipua quaerenda nos invitat. Primum locum occupant virtutes theologales, quae obiectum ac rationem habent Deum. Et mediam partem tenet caritas. Sanctus Paulus quod vere momentum habet dicit: est « fides, quae per caritatem operatur » (*Gal* 5, 6). Vocamur ad caritatem diligenter curandam: « Qui enim diligit proximum, legem implevit [...] plenitudo ergo legis est dilectio » (*Rom* 13, 8-10). « Omnis enim lex in uno sermone impletur, in hoc: Diliges proximum tuum sicut teipsum » (*Gal* 5, 14).

61. Aliis verbis: in densa mandatorum ac praescriptionum silva, Iesus aditum aperit, qui duas facies discernere sinit, scilicet Patris ac fratris. Non duas formulas vel duo praecepta ulterius nobis tradit. Duos nobis tradit vultus, vel potius unum, scilicet Dei qui in multos refertur. Quoniam in unoquoque fratre, potissimum in magis parvulo, debili, intuto et indigenti, ipsa Dei imago adest. Etenim ex huius humanitatis, vulneri obnoxiae, reiectis, temporis sub fine, suum opus artis finget Dominus. Quia « quid superest, quid in vita valet, quae divitiae non evanescunt? Procul dubio duae: Dominus ac proximus. Hae duae divitiae non evanescunt ».[65]

[64] Thomas Aquinas, *Summa theologiae*, I-II, q. 107, art. 4.

[65] *Homilia in Missa occasione Iubilaei personarum a societate exclusarum* (13 Novembris 2016): *L'Osservatore Romano*, 14-15 Novembris 2016, p. 8.

62. Ecclesiam liberet Dominus a novis gnosticismi et pelagianae doctrinae formis quae eam implicant eamque in itinere eius ad sanctitatem sistunt! Hae deviationes multifarie exprimuntur, secundum cuiusque indolem et peculiaritates. Quapropter unumquemque cohortamur ut se interroget et coram Deo dignoscat quomodo eius in vita patefiant.

Caput Tertium
SUB LUCE MAGISTRI

63. De eo quod sit sanctitas plurimae doctrinae haberi possunt, abundantes explicationes et distinctiones. Huiusmodi consideratio utilis esse posset, sed nihil magis collustrat quam ad Iesu verba redire eiusque modum transmittendi veritatem recipere. Omni simplicitate Iesus explanavit quid sibi vult sanctos fieri idque fecit cum nobis Beatitudines reliquit (cfr *Mt* 5, 3-12; *Lc* 6, 20-23). Ipsae sunt veluti testimonium identitatis christiani. Itaque, si quis nostrum se interrogat: "Quomodo fit ut quis bonus sit christianus?", responsum simplex est: necesse est id facere, unusquisque suo modo, quod Iesus dicit in Beatitudinum sermone.[66] In iis Magistri vultus fingitur, quem ad manifestandum in vita nostra cotidie vocamur.

64. Verbum "felix" vel "beatus" idem significat quod "sanctus", quoniam exprimit eum qui Deo fidelis est eiusque vivit Verbum, in sui ipsius donatione veram attingit beatitudinem.

Contra consuetudinem

65. Etiamsi Iesu verba nobis poëtica videri possunt, multum tamen a consuetudine sunt remota pro eo quod est usitatum, quod in societate agitur; et, quamquam hic Iesu nuntius nos attrahit, revera mundus ad alium vitae agendae modum nos ducit. Beatitudines minime aliquid leve sunt vel tenue; e contra, eas vivere valemus tantum si Spiritus Sanctus invadit nos omni sua virtute nosque liberat ab infirmitate nimii studii nostri, ignaviae, elationis.

66. Redeamus ad audiendum Iesum, omni dilectione et aestimatione quas Magister meretur. Sinamus ut nos suis verbis percutiat, nos provocet, nos revocet ad veram vitae mutationem. Alioquin sanctitas erit tantum verbis

[66] Cfr *Homilia in S. Missa apud Domum S. Marthae* (9 Iunii 2014): *L'Osservatore Romano*, 10 Iunii 2014, p. 8.

declarata. Repetamus nunc singulas Beatitudines, sicut in Evangelio secundum Matthaeum referuntur (cfr 5, 3-12).[67]

« Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum »

67. Evangelium invitat nos ut veritatem nostri cordis agnoscamus, ad videndum ubi securitatem nostrae vitae collocamus. Solito more dives securum se sentit ob suas divitias et putat, cum eae in periculo versantur, omnem sensum eius vitae in terra corruere. Iesus ipse nobis hoc dixit in parabola divitis stulti, loquens de illo viro securo qui, tamquam insipiens, haud cogitabat se mori posse eodem die (cfr *Lc* 12, 16-21).

68. Divitiae nihil tibi praestant. Immo, cum cor se dives sentit, est tam contentum sui ipsius ut spatium non habeat pro Verbo Dei, pro diligendis fratribus nec pro delectando vitae praecipuis. Sic sibi aufert maxima bona. Quapropter Iesus beatos appellat pauperes spiritu, qui cor pauper habent, quo Dominus ingredi valet sua cum constanti novitate.

69. Haec paupertas spiritus est valde coniuncta cum illa "sancta indifferentia", quam sanctus Ignatius de Loyola proposuit, in qua pulchram consequimur interiorem libertatem: « Quapropter necesse est facere nos indifferentes erga res creatas omnes, quantum permissum est libertati nostri liberi arbitrii, et non est ei prohibitum, adeo ut non velimus ex parte nostra magis sanitatem quam infirmitatem, divitias quam paupertatem, honorem quam ignominiam, vitam longam quam brevem, et consequenter in ceteris omnibus ».[68]

70. Lucas haud loquitur de paupertate "spiritus", sed tantum « pauperes » esse dicit (cfr *Lc* 6, 20), atque sic nos hortatur ad vitam austeram et rebus destitutam. Hoc modo vocat nos ad vitam egentiorum communicandam, vitam quam agebant Apostoli, ac denique ad nos Iesu conformandos, qui « egenus factus est, cum esset dives » (*2 Cor* 8, 9).

Pauperes esse corde, haec est sanctitas.

« Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram »

71. Praestat haec locutio, in hoc mundo qui inde ab initio locus est inimicitiae, ubi contentiones sunt ubique, ubi undique grassatur odium, ubi constanter alios in genera disponimus eorum ob opiniones, mores et etiam ob eorum modum loquendi et vestiendi. Tandem, regnum est animorum inflatio-

[67] Ordo inter secundam et tertiam Beatitudinem mutatur in variis textuum traditionibus.
[68] *Exercitia spiritualia*, 23d: Ratisbonae 1920, 46-48.

nis et vanitatis, ubi quisque arbitratur se ius habere super alios insurgendi. Attamen, etiamsi hoc impossibile videtur, Iesus aliam vivendi rationem proponit: mansuetudinem. Hoc est quod Ipse exercebat suis cum discipulis quodque contemplamur in eius ingressu Hierosolymam: «Ecce, Rex tuus venit tibi, mansuetus et sedens super asinam» (*Mt* 21, 5; cfr *Zach* 9, 9).

72. Ipse dixit: «Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris» (*Mt* 11, 29). Si turbati vivimus, arrogantes in alios, denique lassi et imbecilli fiemus. Sed cum eorum limites vitiaque conspiciamus cum suavitate et mansuetudine, haud nos superiores eis considerantes, eos iuvare valemus ac vitamus ne vires inutilibus in questionibus amittamus. Iuxta sanctam Teresiam Lexoviensem «caritas perfecta est cum vitia aliorum sustinemus, nec de eorum infirmitatibus scandalum patimur».[69]

73. Paulus mansuetudinem memorat uti fructum Spiritus Sancti (cfr *Gal* 5, 23). Proponit ut, si aliquando nos turbant fratris mala facinora, studeamus eas corrigere, sed «in spiritu lenitatis» (*Gal* 6, 1), et admonet: «considerans teipsum, ne et tu tenteris» (*ibid.*). Etiam cum quis defendat suam fidem suasque persuasiones, id cum mansuetudine agere debet (cfr *1 Pe* 3, 16), et etiam eos, qui resistunt, cum mansuetudine corripere (cfr *2 Tim* 2, 25). In Ecclesia pluries erravimus quia hanc Verbi divini monitionem non accepimus.

74. Mansuetudo est alia manifestatio interioris paupertatis illius qui fiduciam tantum in Deo ponit. Revera in Sacra Scriptura solet adhiberi idem verbum *anawim* ad pauperes atque mites designandos. Aliquis potest obicere: "Si ego tam mitis sum, cogitabunt me fatuum esse, stultum vel hebetem". Forsitan ita fiet, sed sinamus ut id sane cogitent alii. Melius est usque mites esse, et perficientur nostra maiora optata: mites "possidebunt terram", id est videbunt completas sua in vita Dei promissiones. Nam mansueti, plus quam dicunt rerum adiuncta, sperant in Domino, et illi qui sperant in Domino «hereditabunt terram et delectabuntur in multitudine pacis» (*Ps* 37, 9.11). Eodem tempore Dominus in iis confidat: «Ad hunc autem respiciam, ad pauperculum et contritum spiritu et trementem sermones meos» (*Is* 66, 2).

Humili mansuetudine respondere, haec est sanctitas.

«Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur»

75. Mundus contraria nobis proponit: ludum, oblectamentum, delectationem, relaxationem, ac dicit nobis haec esse illud quod vitam bonam efficit.

[69] *Manuscriptum C*, 12r.

Mundanus homo ignorat, in alteram partem respicit cum incommoda morbi vel doloris adsint in familia vel circum eum. Mundus lugere non vult: mavult dolorosas condiciones ignorare, operire, abscondere. Plures vires expenduntur ad aufugiendas condiciones ubi adest passio, putando dissimulari posse facta, ubi numquam prorsus crux deesse potest.

76. Qui res videt sicut revera sunt, sinit se dolore transfigi suoque in corde luget, vitae altitudines attingere valet atque vere beatus esse.[70] Haec persona consolatur, sed consolatione Iesu et non mundi. Itaque animum habere potest alterius dolorem communicandi ac desinit a dolorosis rerum adiunctis aufugere. Hoc modo comperit vitam sensum habere cum alteri succurrat in eius dolore, cum angustias aliorum intellegat, cum alios allevet. Haec persona sentit quod alter est caro de carne eius, non timet accedere usque ad tangendum eius vulnus, compassionem habet donec experiatur longinquitatem inter se deleri. Ita accipi potest hortatio illa sancti Pauli: « Flere cum flentibus » (*Rom* 12, 15).

Cum aliis lugere posse, haec est sanctitas.

« Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur »

77. « Fames et sitis » sunt experientiae valde acres, quoniam primariis respondent necessitatibus et cum innata vivendi custodia iunguntur. Quidam homines intentius iustitiam cupiunt eamque sic perstudiose requirunt. Iesus dicit eos saturatum iri, quoniam serius ocius iustitia venit, et nos cooperari possumus ut hoc fieri possit, etiamsi haud semper huius operis effectus conspicimus.

78. Sed iustitia, quam offert Iesus, haud est sicut illa quam mundus quaerit, pluries miseris utilitatibus maculata, ex alterutra parte propriis commodis aptata. Realitas ostendit nobis quam facile sit in corruptionis conventicula ingredi, illam rem politicam cotidianam participare in qua "do ut mihi dent", ubi totum est negotiatio. Et quot homines patiuntur ob iniustitias, quot manent impotentes cernendo quomodo alii aliis succedunt vitae tortam inter se dividentes. Nonnulli desistunt luctari pro vera iustitia et optant in currum victoris ascendere. Hoc minime pertinet ad famem et sitim iustitiae quam Iesus laudat.

[70] A Patrum temporibus Ecclesia magni aestimat lacrimarum donum, sicut conspicitur etiam in pulchra oratione *Ad petendam compunctionem cordis*: « Omnipotens et mitissime Deus, qui sitienti populo fontem viventis aquae de petra produxisti: educ de cordis nostri duritia lacrimas compunctionis; ut peccata nostra plangere valeamus, remissionemque eorum, te miserante, mereamur accipere » (*Missale Romanum*, ed. typ. 1962, p. [110]).

79. Huiusmodi iustitia incipit exerceri in cuiusque vita, cum iusti simus nostra decernentes, ac proinde exprimitur in iustitia pro pauperibus et infirmis quaerenda. Profecto vocabulum "iustitia" idem significare potest ac Dei voluntati fidelitas per totam nostram vitam, at si sensum valde generalem ei tribuamus, obliviscimur eam praecipue manifestari in iustitia agenda de indefensis: « Quaerite iudicium, subvenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam » (*Is* 1, 17).

Fame et siti iustitiam quaerere, haec est sanctitas.

« Beati misericordes, quia ipsi misericordiam consequentur »

80. Misericordia duas habet species: est dare, adiuvare, aliis servire, et etiam ignoscere, intellegere. Quae Matthaeus in regula aurea constringit: « Omnia ergo, quaecumque vultis ut faciant vobis homines, ita et vos facite eis » (7, 12). Catechismus nos recordatur hanc legem esse applicandam « in omnibus casibus »,[71] peculiari autem modo cum « homo quandoque in condicionibus invenitur quae iudicium morale minus certum et decisionem efficiunt difficilem ».[72]

81. Dare et ignoscere est conari nostra in vita repercutere aliquid perfectionis Dei, qui superabundanter dat et ignoscit. Quamobrem in Evangelio secundum Lucam iam non audimus effatum « estote perfecti » (*Mt* 5, 48), sed « estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est. Et nolite iudicare et non iudicabimini; et nolite condemnare et non condemnabimini. Dimittite et dimittemini; date, et dabitur vobis » (6, 36-38). Et postea Lucas addit aliquid nobis haud neglegendum: « Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis » (6, 38). Mensura quam adhibemus, cum intellegamus et ignoscamus, applicabitur ad nos in ignoscendo nobis. Mensura, quam applicabimus in dando, applicabitur nobis in caelo in remunerando nos. Haud expedit nobis hoc oblivisci.

82. Iesus non dicit: "Beati qui ultionem sibi proponunt", sed beatos appellat eos qui dimittunt idque faciunt « usque septuagies septies » (*Mt* 18, 22). Oportet cogitare nos omnes exercitum esse dimissorum. Nos omnes conspecti sumus cum miseratione divina. Si ad Dominum sincere accedimus et aures exacuimus, probabiliter aliquando hanc reprehensionem audiemus: « Non oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum? » (*Mt* 18, 33).

[71] *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, 1789; cfr 1970.
[72] *Ibid.*, 1787.

Conspicere et agere cum misericordia, haec est sanctitas.

«Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt»

83. Haec beatitudo ad eos pertinet qui habent cor simplex, mundum, sine sordibus, quoniam cor aptum amare non patitur suam in vitam quidquam ingredi quod hunc amorem attentet, quod illum debilitet vel in discrimen ponat. Secundum Sacras Scripturas, cor sunt nostrae verae intentiones, id quod re quaerimus et cupimus, praeter ea quae patefacimus: «Homo enim videt ea, quae parent, Dominus autem intuetur cor» (*1 Sam* 16, 7). Ipse conatur ad nos loqui in corde (cfr *Os* 2, 16) ibique desiderat Legem suam scribere (cfr *Ier* 31, 33). Denique vult nobis cor novum dare (cfr *Ez* 36, 26).

84. «Omni custodia serva cor tuum» (*Prv* 4, 23). Nihil maculatum falsitate re valorem habet Domino. Ipse «effugiet fictum et auferet se a cogitationibus insensatis» (*Sap* 1, 5). Pater, «qui videt in abscondito» (*Mt* 6, 6), agnoscit quod non est mundum, id est quod non est sincerum, sed tantum cortex et simulacrum, sicut et Filius novit «quid esset in homine» (*Io* 2, 25).

85. Verum est non esse caritatem sine operibus caritatis, sed haec beatitudo nos recordatur Dominum exspectare studium in fratrem quod manet de corde, quia «et si distribuero in cibos omnes facultates meas et si tradidero corpus meum, ut glorier, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest» (*1 Cor* 13, 3). In Evangelio secundum Matthaeum cernimus quoque ea quae de corde exeunt coinquinare hominem (cfr 15, 18), quoniam inde exeunt homicidia, furta, falsa testimonia et cetera (cfr 15, 19). Ex intentionibus cordis oriuntur intima desideria et consilia quae re nos permovent.

86. Cum cor Deum et proximum diligit (cfr *Mt* 22, 36-40), cum hoc est vera eius intentio et non vacua verba, tunc cor illud mundum est ac Deum videre potest. Sanctus Paulus in suo hymno de caritate recordatur nos videre «nunc per speculum in aenigmate» (*1 Cor* 13, 12), sed prout vere regnat caritas, apti fiemus ut videamus «facie ad faciem» (*ibid.*). Qui sunt mundo corde, sicut Iesus pollicetur, «Deum videbunt».

Cor mundum servare ab his omnibus quae caritatem foedant, haec est sanctitas.

«Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur»

87. Haec beatitudo in mentem nobis adducit innumeras bellicas condiciones quae iterantur. Nobis autem admodum familiare est contentionum vel saltem dissensionum actores esse. Exempli gratia, cum de quodam aliquid audio et vado ad alterum eique hoc dico; et forsitan aliam versionem effingo

parum ampliorem eamque diffundo. Et si plus damni facere valeo, videtur hoc mihi magis satisfacere. Orbis rumorum, factus a plebe quae studet carpere et diruere, haud pacem construit. Haec gens potius est inimica pacis ac nullo modo beata.[73]

88. Pacifici sunt fons pacis, pacem socialemque amicitiam aedificant. Iis qui nituntur pro pace ubique seminanda, Iesus pulchram facit promissionem: « Ipsi filii Dei vocabuntur » (*Mt* 5, 9). Ipse poscebat a discipulis ut, cum in quandam domum pervenirent, dicerent: « Pax huic domui! » (*Lc* 10, 5). Verbum Dei quemque credentem hortatur ut una cum omnibus pacem sectetur (cfr *2 Tim* 2, 22), quoniam « fructus iustitiae in pace seminatur facientibus pacem » (*Iac* 3, 18). Si autem aliquando nostra in communitate dubia adsunt quid sit faciendum, « quae pacis sunt, sectemur » (*Rom* 14, 19), quoniam unitas maior est contentione.[74]

89. Haud facile est istam pacem evangelicam exstruere, quae neminem excludit, sed integrat etiam eos qui paulisper insolentes sunt, homines difficiles et implicatos, qui attentionem evocant, qui diversi sunt, qui a vita nimirum percutiuntur, quorum alia intersunt. Durum est magnamque requirit ingenii sollertiam et cordis, quia non agitur de « consensu ad mensulam scriptoriam vel de pace fluxa pro felici minoritate »,[75] nec de proposito « paucorum pro paucis ».[76] Neque nititur conflictus ignorare vel dissimulare, sed « accipere sufferre conflictum, dirimere eum et commutare in anellum catenae novi processus ».[77] Oportet opifices pacis esse, quia pacem exstruere ars est quae requirit animum serenum, creativum, sensibilem et agilem.

Circum nos pacem serere, haec est sanctitas.

« Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum »

90. Ipse Iesus asserit hanc viam contra consuetudinem ducere usque adeo ut nos permutet in homines qui sua vita in dubium revocent societa-

[73] Diffamatio et calumnia sunt veluti actus terroris: proicitur bombum, aliquid deletur et aggressor abit felix et tranquillus. Hoc valde differt a nobilitate illius qui appropinquat facie ad faciem locuturus, cum serena sinceritate, de bono alterius cogitans.

[74] In quibusdam occasionibus necessarium esse potest de alicuius fratris difficultatibus loqui. His in casibus evenire potest quod transmittatur relatus potius quam verum factum. Passio veram rem facti deformat, commutat illud in relatum ac denique idem tradit singuli opinionis plenum. Ita deletur res, nec veritas alius servatur.

[75] Adh. ap. *Evangelii gaudium* (24 Novembris 2013), 218: *AAS* 105 (2013), 1110.

[76] *Ibid.*, 239: 1116.

[77] *Ibid.*, 227: 1112.

tem, homines incommodos. Iesus recordatur tot homines persecutionem pati ac persecutionem passos esse solummodo quoniam pro iustitia certaverunt, quoniam sua officia in Deum et in alios expleverunt. Si in obscuram mediocritatem delabi nolumus, ne postulemus vitam commodam: « Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam » (*Mt* 16, 25).

91. Non licet exspectare, ad vivendum Evangelium, ut circum nos omnia favorabilia sint, quia saepe dominatus ambitiones mundanorumque negotiorum adversus nos contendunt. Sanctus Ioannes Paulus II ita dicebat: « Alienata est societas quae suis in formis ordinationis socialis et rerum confectionis atque consumptionis difficiliorem reddit traditionem huius doni et huius inter homines conspirationis constitutionem ».[78] In huiusmodi societate alienata, decepta machinatione rei politicae, instrumentorum communicationis socialis, oeconomiae, culturae ac etiam religionis, quae sincerae progressioni humanae et sociali obsistit, Beatitudines vivere difficile fit, vel etiam invisum quoddam, suspectum et irrisum esse potest.

92. Crux, praesertim defatigationes et passiones quas sustinemus ut caritatis mandatum et iustitiae iter vivamus, fons est maturationis et sanctificationis. Recordari debemus Novum Testamentum, cum de passionibus loquitur pro Evangelio sustinendis, plane ad persecutiones referri (cfr *Act* 5, 41; *Phil* 1, 29; *Col* 1, 24; *2 Tim* 1, 12; *1 Pe* 2, 20; 4,1 4-16; *Apc* 2, 10).

93. Loquimur tamen de persecutionibus inevitabilibus, non de illis quas nos ipsi, alios perperam tractantes, concitare possemus. Sanctus non est quispiam insolitus, disiunctus, qui haud perferri potest ob eius vanitatem, indolem infensam eiusque simultates. Christi Apostoli tales non erant. Liber Actuum Apostolorum instanter enarrat eos habere « gratiam ad omnem plebem » (2, 47; cfr 4, 21.33; 5, 13), dum quidam magistratus eos insectabantur et persequebantur (cfr 4, 1-3; 5, 17-18).

94. Persecutiones re non pertinent ad praeteritum tempus, quoniam etiam hodie eas patimur, tum modo cruento, sicut tot martyres nostrae aetatis, cum modo subtiliore, per calumnias et falsitates. Iesus dicit beatitudinem adesse cum « dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me » (*Mt* 5, 11). Alias de ludibriis agitur, quae fidem nostram conantur detorquere nosque uti personas ridiculas ostentare.

Evangelii viam cotidie accipere, etiamsi nobis aerumnas afferat, haec est sanctitas.

[78] Litt. enc. *Centesimus annus* (1 Maii 1991), 41c: *AAS* 83 (1991), 844-845.

Magna regula morum

95. In capite XXV Evangelii secundum Matthaeum (vv. 31-46) Iesus iterum considerat unam harum beatitudinum, nempe eam quae declarat beatos misericordes. Si eam sanctitatem quaerimus quae accepta est oculis Dei, in hoc textu invenimus ipsam regulam agendi, secundum quam iudicabimur: «Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me; nudus, et operuistis me; infirmus, et visitastis me; in carcere eram, et venistis ad me» (25, 35-36).

Propter fidelitatem Magistro

96. Itaque sanctos esse non significat oculos terere in quadam coniecta exstasi. Dixit sanctus Ioannes Paulus II: «Si revera a Christi contemplatione denuo viam incepimus, nostrum erit id advertere in vultu eorum cum quibus ille similis esse voluit».[79] Textus *Mt* 25, 35-36 «non est mera adhortatio ad caritatem; agitur de pagina christologica, quae luminis radios effundit in Christi mysterium».[80] Hac in admonitione ad agnoscendum eum in pauperibus et patientibus cor ipsum Christi revelatur, eius sensus altioresque optiones, quibus omnis sanctus se conformare nititur.

97. Prae horum Iesu postulatorum virtute Nos tenemur rogare christianos ut accipiant ea et assumant sincera animi propensione, „sine glossa", videlicet sine commentariis, sine lucubrationibus et excusationibus quae iis vim auferant. Dominus nobis liquide demandavit sanctitatem non posse intellegi nec vivi si quis illa eius postulata praetereat, quoniam misericordia est «cor micans Evangelii».[81]

98. Cum cuidam occurro dormienti sub divo, in nocte frigida, sentire possum sarcinam illam onus esse inexspectatum quod me implicat, maleficum otiosum, obstaculum in meo itinere, aculeum molestum meae conscientiae, incommodum a viris politicis resolvendum, et forsitan etiam sordem quae publicum spatium foedat. Vel possum ex fide et caritate agere atque in eo ens humanum cum eadem ac mea dignitate agnoscere, creaturam a Patre infinite dilectam, Dei imaginem, fratrem a Iesu Christo redemptum. Hoc est esse christiani! Num sanctitas intellegi potest praeter hanc vivam agnitionem dignitatis cuiusque hominis?[82]

[79] Litt. ap. *Novo millennio ineunte* (6 Ianuarii 2001), 49: *AAS* 93 (2001), 302.

[80] *Ibid.*

[81] Bulla *Misericordiae vultus* (11 Aprilis 2015), 12: *AAS* 107 (2015), 407.

[82] Memoremus reactionem boni Samaritani coram viro, quem latrones fere mortuum reliquerunt iuxta viam (cfr *Lc* 10, 30-37).

99. Hoc christianis implicat sanam ac permanentem insatisfactionem. Etiamsi tantum uni levamen afferre iam omnes conatus nostros iustificaret, hoc nobis haud sufficit. Episcopi Canadenses hoc clare affirmarunt, monstrantes quod in biblicis doctrinis de Iubilaeo, exempli gratia, non agitur tantum de quibusdam bonis operibus efficiendis, sed potius de commutatione sociali quaerenda: « Ut generationes futurae etiam liberentur, clare finis esse debet iustos sociales et oeconomicos ordines restituere, ita ut nulla exclusio amplius fieri possit ».[83]

Doctrinae quae cor Evangelii mutilant

100. Pro dolor, nonnumquam doctrinae inducunt nos in duos noxios errores. Una ex parte, error christianorum qui separant haec Evangelii postulata a personali sua relatione cum Domino, ab interiori coniunctione cum Eo, a gratia. Ita christiana religio in aliquod genus ONG commutatur, auferens ei illam luminosam mysticam, quam tam bene vita sua sanctus Franciscus Assisiensis, sanctus Vincentius de Paul, sancta Teresia de Calcutta et plurimi alii manifestarunt. Apud hos magnos sanctos nec oratio nec Dei dilectio, nec Evangelii lectio eorum studii proximi passionem et efficaciam minuebant, sed e contra eam augebant.

101. Noxius et doctrinis subiectus quoque est error eorum qui vivunt diffidentes de aliorum sociali studio, considerantes illud aliquid tenue, mundanum, profano usui destinatum, immanentismum sectans, communismi proprium, ad populismum pertinens. Vel illud relativum faciunt, uti essent aliae res maioris ponderis vel uti hoc pertineret tantum ad determinatam ethicam aut ad rationem quam ipsi defendunt. Exempli gratia, defensio innocentis qui nondum natus est debet esse clara, firma et ardens, quia ibi vitae humanae dignitas in discrimen adducitur, quae semper sacra est, illudque postulat amor erga omnem personam, praetermissa eius evolutione. Sed pariter sacra est vita pauperum, qui iam nati sunt, qui quatiuntur miseria, derelictu, exclusione, hominum mercatura, aegrorum ac senium absque cura occulta euthanasia, novis formis servitutis atque quaque forma sepositionis.[84]

[83] Conferentia Catholicorum Episcoporum Canadae – Commissio pro Negotiis Socialibus, Epistula patens scripta membris Parlamenti, *The Common Good or Exclusion: A Choice for Canadians* (1 Februarii 2001), 9.

[84] V Conferentia Generalis Episcoporum Latinorum Americanorum et Caribicorum, secundum constans Ecclesiae magisterium, docuit humanum ens « semper sacrum esse, ab eius conceptione, *cunctis in gradibus eius exsistentiae*, usque ad eius naturalem obitum, ac post obitum », eiusque vitam esse tuendam « a conceptione, *in cunctis eius gradibus*, usque ad naturalem obitum » (Documentum Apparitiopolitanum, 29 Iunii 2007, 388; 464).

Non possumus nobis praeponere exemplar sanctitatis neglegens iniustitiam huius mundi, ubi quidam festum agunt, hilariter impendunt suamque vitam redigunt ad novitates consumptionis, eodem tempore quo alii tantum de foras inspiciunt, dum eorum vita praeterit et misere concluditur.

102. Audiri saepe solet coram relativismo limitibusque mundi huius temporis minoris ponderis quaestionem esse, exempli gratia, condicionem migrantium. Nonnulli catholici affirmant illud esse argumentum secundarium respectu quaestionum "seriarum" bioethicae. Si huiusmodi dicit quidam vir politicus, sollicitus de suis exitibus, intellegi potest, sed minime christianus, quem decet tantum habitus se in locum illius fratris ponendi qui vitam suam in discrimen adducit ut filiis suis futuras opportunitates offerat. Possumusne quidem agnoscere hoc esse quod a nobis requirit Iesus Christus cum nobis dicit nos Ipsum suscipere in omni advena (cfr *Mt* 25, 35)? Sanctus Benedictus accepit hoc sine condicionibus atque, etsi hoc "implicare" potuisset vitam monachorum, statuit cunctos hospites qui venirent ad monasterium suscipiendos esse « sicut Christum »,[85] etiam cum signis adorationis,[86] et pauperes ac peregrinos tractandos esse « maxima cura et sollicitudine ».[87]

103. Similia proponit Vetus Testamentum cum affirmat: « Advenam non opprimes neque affliges eum; advenae enim et ipsi fuistis in terra Aegypti » (*Ex* 22, 20). « Si habitaverit tecum advena in terra vestra, non opprimetis eum; sed sit inter vos quasi indigena, et diliges eum sicut teipsum: fuistis enim et vos advenae in terra Aegypti » (*Lv* 19, 33-34). Non agitur ergo de inventione cuiusdam Papae vel transitorio delirio. Nos quoque, hodiernis in adiunctis, vocamur ad vivendum iter spiritualis illuminationis quod nobis propheta Isaias ostendebat, cum quaeritabat quid Deo acceptum sit: « Nonne frangere esurienti panem tuum, et egenos, vagos inducere in domum? Cum videris nudum, operi eum et carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi aurora lumen tuum » (58, 7-8).

Cultus Ipsi magis acceptus

104. Cogitare potuerimus nos Deo gloriam reddere tantum cultu et oratione, vel unice quarundam normarum ethicarum observatione – verum est in primis consuetudinem cum Deo esse colendam – ac obliviscimur mensu-

[85] *Regula*, 53,1: *PL* 66,749.
[86] Cfr *ibid*. 53,7: *PL* 66,750.
[87] *Ibid*. 53,15: *PL* 66,751.

ram pro aestimanda vita nostra ante omnia esse quod aliis fecerimus. Oratio est pretiosa si cotidianam amoris donationem alit. Noster cultus acceptus est Deo cum in eum ferimus proposita cum magnanimitate vivendi atque cum sinimus ut Dei donum, quod in eo accipimus, studio in fratres manifestetur.

105. Propter eandem rationem optimus modus diiudicandi an nostra via orationis sit germana erit respicere quantopere nostra vita sub luce misericordiae commutetur. Etenim « misericordia non est tantum Patris actio, sed discrimen fit quo intellegatur qui sint eius veri filii ».[88] Ipsa est stipes « qui vitam Ecclesiae sustinet ».[89] Iterum affirmare cupimus quod, quamquam misericordia iustitiam et veritatem haud excludat, « potissimum dicere debemus misericordiam esse iustitiae plenitudinem ac clariorem Dei veritatis revelationem ».[90] Ipsa « clavis est caeli ».[91]

106. Praeterire non possumus quin illam quaestionem recordemur quam sanctus Thomas Aquinas sibi posuit cum inquirebat quae sint nostrae actiones maiores, quae opera exteriora melius nostram erga Deum caritatem ostendant. Ipse absque dubitatione respondit haec esse opera misericordiae erga proximum,[92] plus quam actus cultus: « Nos non exercemus cultum in Deum per sacrificia et oblationes exteriores ad eius utilitatem, sed ad nostram utilitatem et proximi: Ipse enim non indiget nostris sacrificiis, sed vult ut ea offerantur pro nostra devotione et ad utilitatem proximi. Ideo misericordia qua subveniatur inopia alterius est sacrificium ei maxime acceptum, quia illud propius proximi bonum procurat ».[93]

107. Qui vere sua vita Deo gloriam reddere cupit, qui re anhaelat sanctificari ut sua exsistentia glorificet Sanctum, vocatur ut seipsum affligat, impendat et fatiget studens opera misericordiae exercere. Haec optime intellexit sancta Teresia de Calcutta: « Ita, multae sunt mihi humanae infirmitates, multae humanae miseriae. [...] Sed Ipse se humiliat nosque adhibet, te quidem et me, ut eius amor eiusque miseratio in mundo simus, non obstantibus nostris peccatis, non obstantibus nostris miseriis et vitiis. Ipse de nobis pendet ut diligat mundum eique ostendat quantopere eum diligat. Si nimis de nobis ipsis solliciti sumus, pro aliis tempus haud supererit ».[94]

[88] Bulla *Misericordiae vultus* (11 Aprilis 2015), 9: *AAS* 107 (2015), 405.
[89] *Ibid*. 10: *AAS* 107 (2015), 406.
[90] Adh. ap. postsyn. *Amoris laetitia* (19 Martii 2016), 311: *AAS* 108 (2016), 439.
[91] Adh. ap. *Evangelii gaudium* (24 Novembris 2013), 197: *AAS* 105 (2013), 1103.
[92] Cfr *Summa Theologiae*, II-II, q. 30, a. 4.
[93] *Ibid*., ad 1.
[94] *Cristo en los Pobres*, Madrid 1981, 37-38.

108. Quod in rebus consumendis immoderate hedonisticeque involvimur, id nos fallere potest, quoniam propter nimium studium delectamenti in nos ipsos praeter modum intendimus, in nostra iura inque immoderatum desiderium habendi otii ut vita fruamur. Difficile erit ut nos impendamus viresque dicemus ad illos adiuvandos qui male se habent, nisi quandam austeritatem colamus, nisi cum hac cupiditate certemus quam nobis imponit societas consumptionis, ut res nobis venumdet, quaeque denique in pauperes non contentos nos commutat qui omnia habere et experiri cupiunt. Etiam levium notitiarum consumptio atque celeris et virtualis communicationis formae possunt nos utcumque obstupefacere, totum nostrum tempus occupare nosque longe abducere a patienti carne fratrum. In hac praesenti voragine Evangelium denuo resonat ut vitam diversam, saniorem felicioremque nobis praebeat.

* * *

109. Sanctorum testificationis vis est vivere Beatitudines et regulam morum novissimi iudicii. Verba sunt pauca, simplicia, sed realia et pro cunctis valida, quoniam christiana fides ante omnia est ut exerceatur, et etiamsi cogitationis est argumentum, id tantummodo valet cum nos adiuvat in cotidiana vita secundum Evangelium vivere. Exhortamur enixe ut hi magni textus biblici saepius legantur, memoria serventur, in orando adhibeantur et studiose in actum ponantur. Nobis sane proficient, nos germane felices efficient.

Caput Quartum
PROPRIETATES QUAEDAM SANCTITATIS IN MUNDO HUIUS AETATIS

110. Intra amplum sanctitatis conspectum quem Beatitudines nobis praebent et Evangelium Matthaei 25, 31-46, proprietates quasdam vel expressiones spirituales colligere velimus quae, Nostra quidem sententia, necessariae sunt ad intellegendum modum vivendi, ad quem Dominus nos vocat. In instrumentis sanctificationis explicandis haud sistemus iam notis, in diversis scilicet precationis rationibus, in pretiosis sacramentis Eucharistiae et Reconciliationis, in sacrificiis offerendis, in variis formis devotionis, in spirituali moderatione multisque aliis. Quasdam tantum species vocationis ad sanctitatem significabimus, quas speramus praecipue personaturas.

111. Hae proprietates, quas extollere volumus, non sunt illae omnes quae exemplar sanctitatis constituere possunt, sed quinque sunt magnae sig-

nificationes dilectionis erga Deum et proximum, quas magni facimus propter discrimina et limites humani huius temporis cultus. In quo exhibentur: anxietas iracunda et violenta quae nos dissipat ac debilitat; indoles negativa ac maestitia; ignavia commoda, ad consumendum intenta et suipsius utilitati deserviens; sui commodi studium totque falsae spiritualitatis species Dei occursu carentes, quae in religioso hodierno mercatu praepollent.

Perferentia, patientia et mansuetudo

112. Harum magnarum proprietatum prima est in medium ponere firmiterque animo complecti Deum qui amat et sustentat. Hac ex interiore constantia quisque potest perferre, tolerare adversitates vitaeque vicissitudines, sicut et aliorum aggressiones eorumque infidelitates ac menda: « Si Deus pro nobis, quis contra nos? » (*Rom* 8, 31). Hoc fons est pacis quae sancti actibus exprimitur. Ex hac interiore stabilitate testimonium sanctitatis in nostro concitato, inconstanti vehementique mundo de patientia et firmitudine in bono constat. Hoc fidelitas est amoris, quippe qui Deo innititur (*pistis*), fidelis coram fratribus (*pistós*) etiam esse potest eosque numquam in malis temporibus deserit, sua trepidatione haud corripitur et iuxta alios manet, etiamsi nihil praesentaneo gaudio inde afficiatur.

113. Sanctus Paulus Romanos adhortabatur, ut « nulli malum pro malo » (*Rom* 12, 17) redderent neque semetipsos vindicarent (cfr v. 19), sed vincerent « in bono malum » (v. 21). Habitus hic signum non est infirmitatis, sed verae fortitudinis, quia Deus ipse est « patiens et magnus fortitudine » (*Nah* 1, 3). Verbum Dei nos admonet: « Omnis amaritudo et ira et indignatio et clamor et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia » (*Eph* 4, 31).

114. Contendere ac cavere nos oportet animi nostri propensiones pugnaces et egocentricas atque vetare ne hae coalescant: « Irascimini et nolite peccare; sol non occidat super iracundiam vestram » (*Eph* 4, 26). Cum rerum adiunctis obruimur, ad obsecrationis ancoram semper confugere possumus, quae nos ducit ut manibus Dei rursus committamur prope fontem pacis sistentes: « Nihil solliciti sitis, sed in omnibus oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestrae innotescant apud Deum. Et pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiet corda vestra » (*Phil* 4, 6-7).

115. Christiani quoque violentiae verborum structuram per interrete itemque per diversos ambitus vel loca digitalis commercii participare possunt. In ipsis catholicis mediis communicationis modi excedi possunt, ob-

trectationes et calumniae assumi solent omnesque eximi videntur mores alteriusque bonae famae reverentia. Itaque infesta efficitur dualitas, cum his in apparatibus dicantur res quae in vita publica intolerabiles essent, ac quidem ea quae non satifaciunt eos redimere conantur, desideria ulciscendi rabie profundendo. Adnotandum est quod, aliorum praeceptorum postulata defensione, octavum mandatum quandoque omnino praetermittatur: « Non loqueris falsum testimonium », alteriusque imago immisericorditer deleatur. Illic manifestatur quod effrenata lingua est « universitas iniquitatis » et « inflammat rotam nativitatis et inflammatur a gehenna » (*Iac* 3, 6).

116. Constantia interior, quae opus est gratiae, nos servat, ne assentientes impellamur vi quae vitam socialem invadit, quia gratia restinguit vanitatem et lenitatem consummat cordis. Sanctus vires suas non insumit aliorum quaerens errores, silere valet coram mendis fratrum verborumque vitat insectationes quae mordent et vexant, quia dignum se esse non arbitratur qui severus in alios sit, eosque potius censet « superiores sibi » (*Phil* 2, 3).

117. Minime nobis est bonum alios despicere, iudicum saevorum gerere partes, alios reputare indignos et assidue contendere, ut illis praecipiamus. Subtilis haec est species violentiae.[95] Sanctus Ioannes a Cruce aliud suadebat: « Ama semper edoceri potius ab omnibus, quam velle docere etiam omnium minimum ».[96] Et consilium adiciebat ad daemonium arcendum: « De aliorum bonis ita congaudens, sicut de tuis cupiensque ut in omnibus rebus illi praeferantur tibi idque sincero corde. Qua ratione vinces in bono malum, daemonem procul pelles cordisque possidebis laetitiam. Et hoc ipsum praestare stude erga illos potius, quibus minimus afficeris, quam erga alios, certo tibi persuadens quod nisi hoc pacto te gesseris, nec ad veram perventurus caritatem, nec in ea progressus facturus sis ».[97]

118. Humilitas per humiliationes tantum in corde coalescere potest. Sine illis et humilitas abest et sanctitas. Si quasdam nescis pati et offerre humiliationes, humilis non es neque in via incedis sanctitatis. Sanctitas quam praebet Deus Ecclesiae suae, ex Filii eius humiliatione promanat: haec est via. Humiliatio te adducit ut Iesu similis fias, pars est necessaria imitationis Iesu

[95] Complures species sunt vexationis debiliorum quae, licet urbanae et reverentes et valde spirituales etiam videantur, aliis tamen causa sunt multae aegritudinis quoad sui ipsius existimationem.

[96] *Cautelae spirituales*, II: *Contra daemonem*, *Cautela* 3 [= *Cautelae*, 13: *Opera*, Romae 1979^4, 1070].

[97] *Ibid.*

Christi: « Christus passus est pro vobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius » (*1 Pe* 2, 21). Ipse rursus humilitatem Patris manifestat, qui humiliat semetipsum ut procedat cum populo suo, atque infidelitates eius patitur et murmurationes (cfr *Ex* 34, 6-9; *Sap* 11, 23 - 12, 2; *Lc* 6, 36). Ideo Apostoli post humiliationem « ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine [Iesu] contumeliam pati » (*Act* 5, 41).

119. Non spectamus modo saevas condiciones martyrii, sed cotidianas humiliationes eorum qui patiuntur ad servandam familiam suam, vel sibi ipsis bene dicere vitant et alios laudare malunt quam gloriari, munera deligunt deteriora et interdum aliquid iniustum prorsus ferre praeoptant, quod Domino offerant: « Si benefacientes et patientes sustinetis, haec est gratia apud Deum » (*1 Pe* 2, 20). Hoc non est demisso capite ambulare, parum loqui vel societatem effugere. Quondam, cum suarum rerum tantum studio vacet, audere aliquis potest humaniter disserere, iustitiam vindicare vel infirmiores coram summatibus defendere, licet hoc detrimenta eius imaginis afferat.

120. Non dicimus humiliationem suave esse quiddam, quoniam hoc esset masochismus, sed de via agitur ad imitandum Iesum et ad crescendum in coniunctione cum eo. Quod naturaliter intellegi non potest et huiusmodi consilium irridit mundus. Gratia autem est nobis obsecranda: "Domine, advenientibus humiliationibus, adiuva me, ut sentiam me post te incedere in via tua".

121. Huiusmodi virtus cor postulat a Christo placatum, vehementia vacuum quae ex immani 'ego' manat. Ipsa pacificatio, quam gratia operatur, sinit nos interiorem securitatem servare atque resistere et perseverare in bono « et si ambulavero in valle umbrae mortis » (*Ps* 23, 4), vel etiam « si consistant adversum me castra » (*Ps* 27, 3). Firmi in Domino, qui Petra est, canere possumus: « In pace in idipsum dormiam et requiescam, quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me » (*Ps* 4, 9). Christus denique « est pax nostra » (*Eph* 2, 14) et venit « ad dirigendos pedes nostros in viam pacis » (*Lc* 1, 79). Ipse sanctae Faustinae Kowalska id nuntiavit, quod « humanum genus quiescere non poterit, donec cum fiducia se ad Misericordiam divinam convertat ».[98] Ne incidamus igitur in temptationem securitatem interiorem in prosperis eventibus quaerendi, in inanibus voluptatibus, in possessionibus, in dominatu aliorum vel in imagine sociali: « Pacem meam do vobis », sed « non quomodo mundus dat » (*Io* 14, 27).

[98] *La Misericordia Divina nella mia anima. Diario della beata Suor Faustina Kowalska*, Città del Vaticano *1996,* 132.

Laetitia et sensus leporis

122. Quae hactenus diximus secum non ferunt spiritum interdictionis, aegritudinis, asperitatis, maestitiae vel habitum demissum et exanimem. Sanctus vivere valet cum laetitia et sensu leporis. Rem e conspectu nusquam amittens, spiritu propenso ac spe referto alios collustrat. Christifidelis est « gaudium in Spiritu Sancto » (*Rom* 14, 17), quia « ad amorem caritatis ex necessitate sequitur gaudium. Omnis enim amans gaudet ex coniunctione amati. [...] Unde sequela caritatis est gaudium ».[99] Pulchritudinem Verbi eius excepimus, quod recipimus « in tribulatione multa cum gaudio Spiritus Sancti » (*1 Thess* 1, 6). Si concedimus ut Dominus de nostra testa nos educat et vitam nostram immutet, tunc perficere possumus ea, quae sanctus Paulus exposcebat: « Gaudete in Domino semper. Iterum dico: Gaudete! » (*Phil* 4, 4).

123. Prophetae tempus Iesu, quod nos vivimus, praenuntiabant tamquam manifestationem laetitiae: « Exsulta et lauda » (*Is* 12, 6); « Super montem excelsum ascende, tu, quae evangelizas Sion; exalta in fortitudine vocem tuam, quae evangelizas Ierusalem » (*Is* 40, 9); « Iubilate, montes, laudem, quia consolatur Dominus populum suum et pauperum suorum miseretur » (*Is* 49, 13); « Exsulta satis, filia Sion; iubila, filia Ierusalem. Ecce rex tuus venit tibi iustus et salvator ipse » (*Zach* 9, 9). Ne obliscamur quidem adhortationis Nehemiae: « Nolite contristari, gaudium etenim Domini est fortitudo vestra » (*Neh* 8, 10).

124. Maria, quae novitatem allatam a Iesu cernere novit, canebat: « Exsultavit spiritus meus in Deo salvatore meo » (*Lc* 1, 47), et ipse Iesus « exsultavit Spiritu Sancto » (*Lc* 10, 21). Eo transeunte, « omnis populus gaudebat » (*Lc* 13, 17). Post eius resurrectionem, ubicumque discipuli adveniebant erat « magnum gaudium » (*Act* 8, 8). Iesus fidem dat nobis: « Vos contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. [...] Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollit a vobis » (*Io* 16, 20.22). « Haec locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur » (*Io* 15, 11).

125. Dura intercedunt tempora, tempora crucis, at nihil restinguere potest supernaturalem laetitiam, quae « aptatur immutaturque, sed semper superest saltem veluti emissio lucis quae ex personali certitudine manat quod, praeter omnia, infinite amemur ».[100] Fiducia est haec interior, tranquillitas

[99] S. Thomas Aquinas, *Summa theologiae*, I-II, q. 70, a. 3.

[100] Adhort. ap. *Evangelii gaudium* (24 Novembris 2013), 6: *AAS* 105 (2013), 1221.

spe referta, quae spirituali afficit gaudio, quod ad mundi iudicium comprehendi non potest.

126. Christiana laetitia cum leporis sensu plerumque coniungitur, tam extraordinario, exempli gratia, in sanctis Thoma More, Vincentio de Paul vel Philippo Neri. Animi aegritudo cum sanctitate non congruit: « Aufer curam a corde tuo » (*Eccli* 11, 10). Adeo Dominus *praestat nobis omnia abunde* « ad fruendum » (*1 Tim* 6, 17), ut maestitia animo beneficiorum immemori nonnumquam adstringatur ac nos sic obseret in nobis ipsis, quo haud idonei efficimur ad dona Dei agnoscenda.[101]

127. Eius amor Patris nos adhortatur: « Fili, si habes, benefac tecum [...]. Non defrauderis a bono diei » (*Eccli* 14, 11.14). Ad bonam spem vult nos proclives, gratos et animo non nimis perplexos: « In die bona fruere bonis [...]. Inveni quod fecerit Deus hominem rectum, et ipsi quaesierint infinitas quaestiones » (*Eccle* 7, 14.29). Omnibus in adiunctis oportet indulgens servetur spiritus, et sancti Pauli instar agatur: « Ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse » (*Phil* 4, 11). Sanctus Franciscus Assisiensis sic vivebat, qui grato animo ante frustum panis duri commoveri valebat vel felix laudare Deum modo propter auram quae vultum ei mulcebat.

128. Non loquimur de gaudio illo, quod e rerum consumendarum immoderatione et sui ipsius commodi augendi cura oritur, quod aliquibus in hodiernis humani cultus experientiis tam adest. Nam rerum consumendarum immoderatio cor tantummodo gravat; caduca suppeditare potest delectamenta, non autem laetitiam. Eam potius significamus laetitiam, quae simul cum aliis vivitur, quae communicatur et participatur, quia « beatius est magis dare quam accipere » (*Act* 20, 35) et « hilarem datorem diligit Deus » (*2 Cor* 9, 7). Fraterna dilectio facultatem nostram laetandi multiplicat, quoniam habiles nos facit aliorum bono gaudendi: « Gaudere cum gaudentibus » (*Rom* 12, 15). « Gaudemus enim, quando nos infirmi sumus, vos autem potentes estis » (*2 Cor* 13, 9). Si vero « potissimum nostras consideramus necessitates, nos ipsos condemnamus ad vivendum modica cum laetitia ».[102]

[101] Precationem sancto Thomae More tributam recitandam commendamus: « Praesta mihi, Domine, bonam concoctionem, sicut et quid concoquendum. Praesta mihi corporis salutem una et animi laetitiam, quae opus est ad illam tuendam. Praesta mihi, Domine, animam sanctam, quae plurimi faciat omne bonum et purum neque horrescat peccatum, sed omnia potius callide reducat in sedem. Praesta mihi animam nesciam taedii, querimoniarum, gemituum ac lamentorum et ne sinas, ut de illo nimis amplo excruciar, quod egomet sum. Da mihi, Domine, sensum leporis. Praesta mihi gratiam facetias intellegere ut paulum in vita laetitia afficiar eamque cum aliis communicem. Amen ».

[102] Adhort. ap. postsyn. *Amoris laetitia* (19 Martii 2016), 110: *AAS* 108 (2016), 354.

Audacia et fervor

129. Uno eodem tempore sanctitas est *parrhesia*: est audacia, est impetus evangelizationis qui vestigium imprimit in hoc mundo. Quod ut fieri possit, Iesus ipse nobis venit obviam ac placide firmiterque iterat illud: « Nolite timere! » (*Mc* 6, 50); « Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi » (*Mt* 28, 20). Haec verba concedunt nobis ut gradiamur atque inserviamus ea animi repleti fortitudine quam Spiritus Sanctus in Apostolis suscitabat, eos ad Iesum Christum impellens nuntiandum. Audaciam, ardorem, libertatem loquendi, apostolicum fervorem, haec omnia vocabulum *parrhesia* amplectitur, quo verbo Sacra Scriptura et libertatem exprimit exsistentiae quae aperta est, quia Deo et fratribus praesto est (cfr *Act* 4, 29; 9, 28; 28, 31; *2 Cor* 3, 12; *Eph* 3, 12; *Heb* 3, 6; 10, 19).

130. Beatus Paulus VI inter impedimenta evangelizationis ipsam *parrhessiae* defectionem indicabat, scilicet deficiens studium « quod gravissimum est, cum sit domesticum ».[103] Quotiens nosmet percipimus vehementer concussos, ut in dulci sistamus ripa! At Dominus vocat nos ad navigandum in altum et ad laxanda retia in profundiora (cfr *Lc* 5, 4). Nos invitat, ut vitam nostram ei famulando impendamus. Eidem adhaerentes, concitemus nos ut cuncta nostra charismata praebeamus aliis inserviendis. Utinam caritas eius urgeat nos (cfr *2 Cor* 5, 14) et cum sancto Paulo profiteamur: « Vae enim mihi est, si non evangelizavero! » (*1 Cor* 9, 16).

131. Contemplemur Iesum: sublimis eius miseratio non erat quiddam quod in eum penitus converteretur, neque miseratio erat membra debilitans, timida vel verecundia plena, sicuti saepius contingit nobis, sed omnino e contrario. Miseratio erat quae eum movit ut ex se erumperet ad annuntiandum, ad missionem procurandam, ad sanandum et liberandum. Fragilitatem agnoscamus nostram, sed sinamus Iesum in manus suas eam sumere et nos in missionem inferre. Fragiles sumus, gestatores autem thesauri qui auget nos et excipientes eum meliores felicioresque facit. Audacia et ardor apostolicus missionem constituunt.

[103] Adhort. ap. *Evangelii nuntiandi* (8 Decembris 1975), 80: *AAS* 68 (1976), 73. Multum conspicere interest quod in hoc textu beatus Paulus VI laetitiam cum parrhesia arcte devincit. Sicuti « gaudii ac spei defectionem » quaeritur, et « suave et solacii plenum gaudium evangelizandi » extollit, quod cum animi impetu coniungitur « quem neque homines neque res exstinguere » valent, ut « mundus [...] Evangelium accipiat non ab evangelizatoribus afflictis vel spe destitutis ». In Anno Sancto MCMLXXV, idem Paulus VI gaudio dicavit Adhortationem Apostolicam *Gaudete in Domino* (9 Maii 1975): *AAS* 67 (1975), 289-322.

132. *Parrhesia* sigillum est Spiritus, fidei nuntii testimonium. Felix pignus est, quod nos adducit ut de Evangelio, quod annuntiamus, gloriemur; firma est fiducia fidelitatis fidelis Testis, qui certitudinem nobis praestat quod nihil «poterit nos separare a caritate Dei» (*Rom* 8, 39).

133. Impellenti Spiritu indigemus ne formidine subductisque rationibus debilitemur, ne modo intra certos fines procedere consuescamus. Meminerimus loca conclusa tandem madorem sapere et nos morbo afficere. Cum Apostoli temptatione afficerentur formidini discriminibusque animo succumbendi, consociata oratione *parrhesian* simul quaesierunt: «Et nunc, Domine, respice in minas eorum et da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum» (*Act* 4, 29). Et acceperunt responsum: «Et cum orassent, motus est locus, in quo erant congregati, et repleti sunt omnes Sancto Spiritu et loquebantur verbum Dei cum fiducia» (*Act* 4, 31).

134. Ionae prophetae ad instar, semper in nobis temptationem fugiendi celamus tuta petentes, quae plura habere possunt nomina: sui commodi studium, inanem spiritualitatem, inclusionem intra parvos mundos, obnoxietatem, commoditatem, praestitutarum rationum iterationem, dogmatismum, ardens desiderium, pessimismum, refugium in normas. Aliquando resistimus ut e territorio nobis noto atque expedito egrediamur. Difficultates tamen esse possunt tamquam procella, balaena, vermis qui ricinum Ionae arefecit, vel ventus et sol qui ei caput adusserunt; et quemadmodum illi, nobis quoque munere fungi possunt nos ad Deum reducendi, qui suavitas est et vult ad constans atque innovans iter nos provehere.

135. Deus semper novitas est, nos impellens ut rursus proficiscamur et locum immutemus, iam nota praetereuntes, suburbia et confinia extrema petentes. Illuc nos ducit ubi humanitas iacet sauciatissima et ubi homines, infra simulationem levitatis et conformitatis studii, quaerere perseverant responsum ad quaesitum de sensu vitae. Non timet Deus! Non timet! Schemata nostra semper excedit neque reformidat suburbia. Ipse semet quasi suburbium effecit (cfr *Phil* 2, 6-8; *Io* 1, 14). Proinde, si suburbia adire audebimus, ibi eum inveniemus: Ille illic iam consistet. Iesus praecedit nos in corde illius fratris, in carne eius vulnerata, in vita eius oppressa, in anima eius tenebris offusa. Ille illic iam est.

136. Oportet quidem aperire portam cordis Iesu Christo, quippe qui ostium pulsat et vocat (cfr *Apc* 3, 20). Aliquando tamen nescimus an Iesus, spectato irrespirabili foetore nostrae commendationis sui ipsius, iam non intra nos pulset, ut eum evadere sinamus. In Evangelio conspicimus quomo-

do Iesus « iter faciebat per civitatem et castellum praedicans et evangelizans regnum Dei » (*Lc* 8, 1). Etiam post resurrectionem discipuli profecti sunt et praedicaverunt ubique, « Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis » (*Mc* 16, 20). Haec est vis quae e vero occursu oritur.

137. Consuetudo nos decipit nobisque dicit immutationes conari sensu carere et nihil his in adiunctis nos agere posse, resque quidem sic semper se habuisse et nos tamen exsuperavisse. Consuetudinis causa malum amplius non adimus et concedimus ut "res se habeant sicut sunt", vel sicuti quidam statuerunt eas se esse habendas. Attamen sinamus ut Dominus adveniens e somno nos expergefaciat, soporem nostrum quatiat, ab ignavia liberet nos. Pactam oppetamus consuetudinem, oculos bene aperiamus auresque, ac potissimum cor, ut eventibus circa nos ac voce Verbi vivi et efficacis Resurrecti commoveri sinamus.

138. Tot sacerdotum, religiosorum virorum mulierumque et laicorum movet nos exemplum qui magna fidelitate ad annuntiandum ac ministrandum se offerunt, periclitantes saepius capite commodumque suum profecto posthabentes. Testimonium eorum nos commonefacit Ecclesiam tot burocratum administratorumque minime indigere, sed missionariorum qui zelo succensi sint fervoreque flagrantes verae vitae nuntiandae. Sancti nos admiratione afficiunt, perturbant, quia vita eorum nos concitat ut emergamus ex quieta sedanteque mediocritate.

139. A Domino gratiam exposcamus ne dubitemus cum Spiritus novum nos postulat gressum; ardorem apostolicum exposcamus ad Evangelium aliis nuntiandum et ad desistendum ne vitam nostram in museum recordationum vertamus. Omnibus in adiunctis sinamus nos, Spiritu Sancto ducente, historiam contemplari in luce resurrectionis Iesu. Hoc modo Ecclesia, potius quam fatigari, procedere poterit inopinata Domini accipiens.

In communitate

140. Perdifficile est propriae concupiscentiae obluctari atque insidiis temptationibusque daemonii ac mundi sui commodi studiosi, si segregati consistimus. Adeo illecebris percutimur ut, si nimis soli sumus, facile sensum rerum amittimus, interiorem perspicuitatem, et succumbimus.

141. Sanctificatio iter consociatum est, quod bini oportet faciamus. Hoc ostendunt communitates quaedam sanctae. Variis in occasionibus Ecclesia integras communitates canonizavit, quae heroico modo Evangelium vixerunt

vel vitam omnium suorum sodalium Deo obtulerunt. Cogitamus, exempli gratia, septem sanctos fundatores Ordinis Servorum Mariae, septem beatas religiosas primi monasterii Matritensis Ordinis Visitationis Sanctae Mariae, sanctum Paulum Miki et socios martyres in Iaponia, sanctos Andream Kim Tae-gŏn et socios martyres in Corea, sanctos Rochum González, Alphonsum Rodríguez et alios martyres in America Meridionali. Recordamur etiam recens testimonium beatorum monachorum ex Ordine Cisterciensium Strictioris Observantiae de *Tibhirine* (Algeria), qui simul ad martyrium se praeparaverunt. Item multi sunt sancti coniuges, quorum uterque instrumentum factus est alterius sanctificationis. Vitam vel operam cum aliis impendere via profecto est spiritualis incrementi. Sanctus Ioannes a Cruce disciplulo dicebat: cum aliis versaris « ut poliaris et exagiteris ab omnibus » in virtute.[104]

142. Communitas vocatur ad creandum illud « theologale [...] spatium, in quo experiri quis potest Dominum resuscitatum mystice adesse ».[105] Verbum cum aliis communicare et Eucharistiam simul celebrare magis fratres nos facit ac tractim in communitatem sanctam et missionariam convertit. Hoc sinceras quoque mysticas gignit experientias in communitate actas, sicut fuerunt illae sancti Benedicti et sanctae Scholasticae, vel sublimis spiritualis conventus quem sanctus Augustinus et mater eius sancta Monica simul habuerunt: « Impendente autem die, quo ex hac vita erat exitura (quem diem tu noveras ignorantibus nobis) provenerat, ut credo, procurante te occultis tuis modis, ut ego et ipsa soli staremus incumbentes ad quamdam fenestram, unde hortus intra domum, quae nos habebat, prospectabatur. [...] Sed inhiabamus ore cordis in superna fluenta fontis tui, fontis vitae, qui est apud te [...]. Et dum loquimur et inhiamus illi, attingimus eam [*sc.*: sapientiam] modice toto ictu cordis, [...] ut talis sit sempiterna vita, quale fuit hoc momentum intellegentiae, cui suspiravimus ».[106]

143. Hae autem experientiae nec frequentiores sunt nec praestantiores. Vita communis, in familia, in paroecia, in religiosa vel qualibet alia communitate, ex multis parvis particulis conficitur cotidianis. Hoc in sancta communitate a Iesu, Maria et Ioseph composita accidebat, ubi modo paradigmatico

[104] *Cautelae spirituales*, III: *Contra carnem et sensualitatem*, *Cautela* 1: *Opera*, Romae 1979⁴, 1072.

[105] S. Ioannes Paulus II, Adhort. ap. postsyn. *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 42: *AAS* 88 (1996), 416.

[106] *Confessiones*, IX, 10, 23-25: *PL* 32, 773-775.

pulchritudo communionis trinitariae reddebatur. Quod etiam eveniebat in vita communi Iesu cum discipulis eius et cum simplici populo.

144. Recordemur quomodo Iesus suos discipulos monuit, ut parvas particulas considerarent:

parva particula quod in festo vinum deficiebat;

parva particula quod ovis deerat;

parva particula de vidua quae suos duos nummulos obtulit;

parva particula quod opus erat oleum lampadum depositum habere, moram faciente sponso;

parva particula quod a discipulis suis petiit ut inspicerent quot eis essent panes;

parva particula quod opus erat parvum ignem habere paratum ad piscem assandum, dum prima luce discipulos exspectaret.

145. Communitas, quae parvas particulas amoris custodit,[107] in qua sodales mutuam de aliis curam habent et apertum evangelizationis instituunt spatium, locus est praesentiae Resuscitati qui eandem sanctificat secundum Patris consilium. Interdum, tamquam donum Dominici amoris, inter has parvas particulas consolantes nobis donantur experientiae Dei: « Vesperi hieme parvum ministerium meum solito more agebam [...]. Subito procul suavem audivi sonum instrumenti musici: mente tunc mihi atrium effinxi splendide collustratum auro prorsus refulgens, et puellas venustis vestibus indutas, quae mutuis inter se honorificis verbis atque officiis mundanis prosequebantur. Deinde oculos meos fixi in pauperem aegrotam, quam sustinebam; et pro musica suavitate eius miseros gemitus interdum audiebam [...]. Exprimere non possum quod accidit in anima mea: tantum scio Dominum eam veritatis radiis illuminavisse, qui obscurum splendorem conviviorum mundi adeo superant, quod credere non potui felicitatem meam ».[108]

146. Contra animi proclivitatem in sui commodi studium rerum consumendarum immoderatione affectum, quae nos tandem secludit in felicitate quaerenda aliis posthabitis, nostrum sanctificationis iter facere non potest quin idem desideremus ac Iesus: « Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me et ego in te » (*Io* 17, 21).

[107] Tria potissimum recordamur verba magni momenti: "possumne, gratias ago, ignosce", quia « verba apta, tempestive pronuntiata, amorem in singulos dies tuentur et alunt »: Adhort. ap. postsyn. *Amoris laetitia* (19 Martii 2016), 133: *AAS* 108 (2016), 363.

[108] S. Teresia a Iesu Infante, *Manuscriptum C*, cc. 29v-30r: *Opera omnia*, Romae 1997, 269.

In oratione constanti

147. Postremo, quamvis manifestum videatur, recordamur sanctitatem ex consueta effici mentis apertione ad transcendentiam, quae in oratione et adoratione exprimitur. Sanctus homo est orantis spiritus, qui cum Deo communicare necesse habet. Est qui circumsaepta immanentia huius mundi opprimi non patitur atque inter nisus suos oblationesque suspirat in Deum, e seipso per laudem egreditur et fines suos per contemplationem Domini dilatat. Sanctitati non credimus orationis experti, quamquam de productis temporibus vel de intentis animi motibus non necessario agitur.

148. Sanctus Ioannes a Cruce hortabatur, ut quisque « curet semper in praesentia Dei sit, sive est illa realis sive commenticia sive unitiva, prout operatio postulat ».[109] Ceterum voluntas Dei ipsa facere non potest quin ex vita nostra cotidiana quodammodo appareat: « Assiduus es in oratione et noli eam dimittere etiam in medio negotiorum externorum. Sive edis sive bibis sive loqueris sive agis cum saecularibus sive quicquam aliud facis, exquire Deum perseveranter cordi Eius devinctus ».[110]

149. Nihilominus, ut hoc fieri possit, temporibus quibusdam opus est modo Deo dicatis, in solitudine cum Eo. Ad mentem sanctae Teresiae a Iesu oratio est « necessitudo amicitiae, assiduum colloquium solius soli cum Eo, quem scimus amare nos ».[111] In eo instare velimus quod hoc non est tantum pro paucis privilegio auctis, sed pro omnibus, quia fatendum est « nos omnes hoc silentio indigere, adorata praesentia imbuto ».[112] Oratio fidens responsum est cordis quod ipsum coram Deo aperitur, ubi omnes reprimuntur soni ut suavis vox Domini resonans in silentio audiatur.

150. In hoc silentio, sub Spiritus lumine, sanctitatis discerni possunt viae quas Dominus nobis proponit. Aliter omnia consilia nostra tantum esse poterunt "ornatus" qui, potius quam Evangelium in vita nostra extollant, id tegent ac reprimunt. Cuique discipulo necesse est versari cum Magistro, eundem audire et ab eo discere, iugiter discere. Nisi aures praebemus, omnia verba nostra tantum rumores erunt qui nihil prosunt.

151. Memoramus quod « contemplatio vultus Iesu mortui et resuscitati humanitatem nostram redintegrat, illam etiam vitae laboribus discerptam vel

[109] *Gradus perfectionis*, 2: *Opera*, Romae 1979⁴, 1079.
[110] Id., *Consilia ad perfectionem attingendam*, 9: *Opera*, Romae 1979⁴, 1078.
[111] S. Teresia a Iesu, *Vita ab ipsa scripta*, VIII, 5: *Opera*, Romae 1981, 95.
[112] S. Ioannes Paulus II, Litt. ap. *Orientale lumen* (2 Maii 1995), 16: *AAS* 87 (1995), 762.

peccato signatam. Vultus Christi virtutem mollire non debemus ».[113] Proinde, indulgeatur Nobis a te quaerere: exstantne tempora, ubi in silentio coram Eo consistis, cum Eo nulla festinatione commoraris et concedis te ab Eo inspici? Concedisne ut flamma eius incendat cor tuum? Nisi Eidem concedis ut in eo caritatis et suavitatis enutriat ardorem, igne carebis: quomodo ergo aliorum cor testimonio et verbis tuis inflammare valebis? Quod si coram vultu Christi sanari et converti nondum concedere potes, tunc penetra in viscera Domini, ingredere vulnera eius, quoniam ibi insidet divina misericordia.[114]

152. Silentium orans tamen minime intellegamus, quaesumus, tamquam fugam mundum circa nos denegantem. "Peregrinus russicus" ille, qui continenter orans ambulabat, refert eam orationem nullo modo eum ab externis rebus abstrahere: « Cum homines convenirem, omnes tam amabiles mihi videbantur perinde ac si essent e mea familia. [...] Et non modo felicitas interiora animae meae illuminabat, sed etiam mundus exterior pulcherrimus et mirabilis mihi apparebat ».[115]

153. Ne historia quidem evanescit. Oratio, nempe cum Dei dono alitur quod in vitam nostram redundat, oportet memoria semper sit referta. Memoria operum Dei experientiae subest foederis inter Deum et populum eius. Si Deus ingredi voluit in historiam, oratio recordationibus intexitur: recordatione non modo Verbi revelati, sed etiam vitae nostrae, vitae aliorum, de iis quae Dominus in Ecclesia sua operatus est. Memoria grata haec est de qua etiam sanctus Ignatius de Loyola loquitur in illa « Contemplatione ad obtinendum amorem »,[116] cum a nobis petit revocare in memoriam omnia beneficia a Deo accepta. Orans inspice historiam tuam et in ea tantam invenies misericordiam. Hoc simul augebit tuam conscientiam de eo, quod Dominus te memoria tenet et numquam obliviscitur tui. Exinde, sensum habet ab Eo petere ut illuminet etiam parvas particulas vitae tuae, quae Eum non latent.

154. Supplicatio est significatio cordis Deo confidentis, perspicientis se unum valere non posse. In vita Dei populi fidelis multas supplicationes invenimus credenti suavitate altaque fiducia refertas. Pondus ab efflagitatione oranti non auferamus, quae totiens serenum facit cor nostrum ac nos adiuvat

[113] *Allocutio ad participes V Conventus nationalis Ecclesiae italicae apud templum cathedrale Florentiae*, 10 Novembris 2015: *AAS* 107 (2015), 1284.

[114] Cfr S. Bernardus Claravallensis, *Sermones in Canticum Canticorum*, 61, 3-5: *PL* 183, 1071-1073.

[115] *Peregrini Russici narrationes*, Mediolani 1979^3, 41, 129.

[116] Cfr *Exercitia spiritualia*, 230-237.

ut spe repleti propugnantes procedamus. Supplicatio intercessionis peculiari virtute pollet, cum actus sit fiduciae Dei ac significatio simul amoris erga proximum. Quidam, praeiudicatas propter opiniones ad spiritualismum attinentes, precem puram Dei contemplationem necessario esse putant, sine mentis evagationibus, quasi nomina et vultus fratrum turbamenta essent vitanda. Ceterum quidem, re oratio eo magis grata Deo et sanctificans erit quo magis in ea per intercessionem duplex a Iesu nobis traditum mandatum vivere conamur. Intercessio fraternum exprimit officium in alios cum aliorum vitam eorumque trepidissimas anxietates ac dulcissima somnia in ea includere valemus. De eo qui studiose operam dat intercedendo dici potest, Sacrae Scripturae adhibitis verbis: «Hic est fratrum amator, qui multum orat pro populo» (*2 Mac* 15, 14).

155. Si vere agnoscimus Deum esse, facere non possumus quin Eum adoremus, aliquando in silentio admiratione pleno, vel hymnum laudis Ei canamus. Ostendimus ita quod beatus Carolus de Foucauld vivebat, cum dixit: «Cum primum Deum esse credidi, tum intellexi me pro Eo tantum vivere posse».[117] Etiam in vita peregrinantis populi gestus simplices multi sunt merae adorationis, sicuti exempli gratia cum «oculi peregrini super imaginem sistunt suavitatem et proximitatem Dei significantem. Sistit amor, mysterium contemplatur quod silentio gustat».[118]

156. Lectio orans Verbi Dei, dulcis super mel (cfr *Ps* 119, 103) et aequa «gladio ancipiti» (*Heb* 4, 12), sinit nos Magistrum continenter auscultare ut lucerna sit pedibus nostris et lumen semitae nostrae (cfr *Ps* 119, 105). Sicuti bene Episcopi Indiae nos admonuerunt, «devotio Verbo Dei non modo una est ex multis devotionibus, pulchra quidem, sed in arbitrio posita. Pertinet vero ad cor et ad ipsam praecipuam naturam vitae christianae. Verbum habet in se virtutem ad vitam convertendam».[119]

157. Occursus Iesu in Scripturis ad Eucharistiam nos ducit, ubi Verbum ipsum summam obtinet virtutem, cum praesentia realis sit Illius, qui Verbum est vivum. Illic unus Absolutus summa colitur adoratione quae in hac terra Ei praeberi potest, quia ipse Christus in ea offertur. Et cum Eum communican-

[117] *Epistola ad Henricum de Castries*, 14 Augusti 1901: Carolus de Foucauld, *Opera spiritualia. Florilegium*, Romae 1983², 623.

[118] V Conferentia Generalis Episcoporum latinorum americanorum et caribicorum, *Documentum Apparitiopolitanum* (29 Iunii 2007), 259.

[119] Conferentia Episcoporum Catholicorum Indiae, *Declaratio finalis XXI Coetus plenarii* (18 Februarii 2009), 3. 2.

tes accipimus, foedus nostrum cum Eo renovamus et concedimus Eum magis magisque operam conversionis perficere.

Caput Quintum
CONTENTIO, VIGILANTIA ET DISCRETIO

158. Vita christiana contentio continua est. Postulantur vis audaciaque ad arcendum tentationes diaboli atque Evangelium annuntiandum. Ea est contentio decora, quia nobis concedit diem festum agere quotiescumque Dominus in vita nostra vincit.

Contentio et vigilantia

159. Non tantummodo agitur de contentione contra mundum ac contra animum saecularem, qui nos in errorem inducit, obstupefacit et mediocres reddit, sine studio et laetitia. Nec ad certamen quidem reducitur contra nostram fragilitatem ac contra nostras inclinationes animi (quisque suas habet: pigritiam, luxuriam, invidiam, livores, etc.). Est etiam certamen continuum contra diabolum, qui princeps est mali. Ipse Iesus celebrat nostras victorias. Ipse gavisus est cum discipuli eius in Evangelio nuntiando progredi potuerunt, superantes Maligni adversationem, et exsultabat: « Videbam Satanam sicut fulgur de caelo cadentem » (*Lc* 10, 18).

Aliquid plus quam mythus

160. Si perseveramus vitam considerare solum cum criteriis empiricis et sine prospectu supernaturali, non admittemus exsistentiam diaboli. Nempe persuasio est hanc potestatem malignam inter nos esse quae nobis permittit intellegere cur malum interdum tantam vim destruendi habeat. Verum est auctores biblicos onus conceptuale circumscriptum habuisse ad quaedam exprimenda quae temporibus Iesu confundi poterant, exempli gratia comitialis morbus cum possessione demoniaca. Attamen id nos inducere non debet ad realitatem ita simplificandam ut dicamus omnes casus narratos in Evangeliis morbos psychicos fuisse et postremo daemonium non esse vel non agere. Eius praesentia in prima pagina Scripturarum invenitur, quae victoria Dei super daemonium absolvitur.[120] Reapse, cum Iesus nobis orationem "Pater noster" tradidit, voluit nos eam concludere petendo a Patre ut nos a Malo liberaret.

[120] Cfr *Homilia ad Missam in Domo S. Marthae*, 11 Octobris 2013: *L'Osservatore Romano*, 12 Octobris 2013, p. 12.

Verba quae illic adhibentur non ad malum abstracte referuntur, et eius conversio magis exacta est « Malignus ». Ostendit enim ens personale quod nos torquet. Iesus nos docuit cotidie hanc liberationem petere ne potentia eius in nos dominaretur.

161. Ne igitur putemus mythum esse, imaginem, symbolum, figuram vel notionem.[121] Talis fraus nos ad vigilantiam extenuandam adducit nosque neglegendos, subiectiores itaque manemus. Is non eget nos possidere. Nos odio, maerore, invidia et vitiis venenat. Itaque, cum nos custodiam extenuamus, ille occasionem arripit ut nostram vitam, nostras familias ac communitates destruat, quia « tamquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret » (*1 Pe* 5, 8).

Vigiles et fidentes

162. Verbum Domini palam nos hortatur ut debemus « stare adversus insidias diaboli » (*Eph* 6, 11) et ut reprimamus « omnia tela ignea Maligni » (*Eph* 6, 16). Non sunt verba poëtica, quia iter nostrum ad sanctitatem etiam contentio constans est. Qui hoc non agnoscere velit, subiectus erit detrimento vel mediocritati. Ad contendendum habemus valida arma quae Dominus nobis dat: fidem quae in prece exprimitur, meditationem Verbi Dei, celebrationem Missae, adorationem eucharisticam, Reconciliationem sacramentalem, opera caritatis, vitam communem, munus missionale. Si nos neglegimus, allicient facile nos falsa mali promissa, quia, sicut sanctus presbyter Brochero dicebat: « Quid refert quod Lucifer promittat vos liberare, et etiam in medium omnium bonorum suorum vos iniciat, si bona fallacia, si bona venenata sunt? ».[122]

163. Progressio boni, provectus spiritualis et incrementum caritatis hoc in itinere compensatio optima ante res mali sunt. Nemo resistit si eligit in exanima parte cunctari, si cum paucis satisfactus est, si desistit somniare dicationem pulchriorem Domino offerre. Peius adhuc si in sensum profligationis incidit, quia « ille qui incipit sine fiducia ante tempus, perdidit dimi-

[121] Cfr B. Paulus VI, *Catechesis* in Audientia generali die 15 Novembris 1972: *Insegnamenti* X [1972], 1168-1170: « Una ex maximis necessitatibus est a malo illo tutela quod est Diabolus. [...] Malum non est tantum deficiens quiddam, sed efficiens, aliquis vivus, spiritualis, corruptus et corruptor. Terribilis realitas: Arcana et timenda. A docrinae biblicae et ecclesiasticae ambitu devertit qui eius exsistentiam negat; qui eandem principium ex se fingit, non orientem, sicut omnes creaturae, a Deo; vel ut pseudorealitas explicatur, personarum quidem fictio mentis cogitationisque ignotarum causarum nostrorum malorum ».

[122] S. Iosephus Gabriel de Rosario Brochero, *Homilia vexillorum*, in Conferentia Episcopalis Argentina, *Sacerdos Brochero. Litterae et sermones*, Bonaëropolis 1999, 71.

dium certaminis et talenta sua in terra abscondit. [...] Triumphus christianus semper crux est, sed crux quae simulque vexillum victoriae est, quae fertur cum teneritate contentiosa contra impetus mali ».[123]

Spiritualis corruptela

164. Iter sanctitatis est fons pacis et gaudii quae Spiritus donat nobis, sed simul requirit ut stemus cum "lucernis ardentibus" (cfr *Lc* 12, 35) ac attenti maneamus: « Ab omni specie mala abstinete vos » (*1 Thess* 5, 22); « Vigilate » (*Mt* 24, 42; cfr *Mc* 13, 25); ne dormiamus (cfr *1 Thess* 5, 6). Quia illi qui sentiunt graves culpas contra Legem divinam se non committere, se neglegere possunt in quadam specie stuporis vel soporis. Et cum ad se reprehendum nihil grave inveniant, haud animadvertunt illum teporem gradatim eorum vitam spiritualem occupare et tandem tabescunt et corrumpuntur.

165. Corruptio spiritualis peius est quam peccatoris labes, quia agitur de caecitate mentis commoda atque sui sufficienti ubi denique omnia licita videntur: fraus, calumnia, amor sui et tam multae formae subtiles commendationis sui ipsius, quia « ipse Satanas transfigurat se in angelum lucis » (*2 Cor* 11, 14). Sic dies suos Salomon consummavit, dum grandis peccator David novit miseriam suam superare. In quodam loco Iesus nos certiores fecit de hac tentatione dolosa quae ad corruptelam nos inducit: loquitur enim de persona a daemonio liberata quae, putans vitam suam iam mundam esse factam, demum in possessum aliorum septem spirituum malignorum incidit (cfr *Lc* 11, 24-26). Alter textus biblicus gravi imagine utitur: « Canis reversus ad suum vomitum » (*2 Pe* 2, 22; cfr *Prv* 26, 11).

Discretio

166. Quomodo possumus scire utrum aliquid de Spiritu Sancto procedat an de spiritu mundi vel diaboli oritur? Unus modus est discretio, quae requirit non tantum bonam ratiocinandi facultatem vel sensum communem, verum etiam donum quod est poscendum. Si illud a Spiritu Sancto fidenter flagitamus, eodemque tempore conamur illud colere oratione, meditatione, lectione bonoque consilio, haud dubie hac in spirituali facultate progredi possumus.

Impellens necessitas

167. Hodiernis temporibus habitus discernendi perquam necessarius factus est. Nam huius aetatis vita magnam copiam praebet actionum et oblec-

[123] Adhort. ap. *Evangelii gaudium* (24 Novembris 2013), 85: *AAS* 105 (2013), 1056.

tationum, quas mundus exhibet veluti si omnes validae bonaeque essent. Cuncti, praecipue autem iuvenes, continuatis variationibus obiciuntur. Fieri potest ut quis in duobus tribusve albis electronicis simul moveatur eodemque tempore differentes virtuales actionis scaenicae partes reciproce agitet. Absque discernendi prudentia facile commutari possumus in neurospasta, illius temporis proclivitatibus mancipata.

168. Hoc potissimum est magni momenti cum novitas quaedam compareat in nostra vita, ideoque discernendum est utrum hoc sit vinum novum quod venit a Deo an quaedam sit novitas fallax spiritus mundi vel spiritus diaboli. Aliis vero in occasionibus oppositum evenit, quoniam vires mali nos persuadent ne mutemus, ut res relinquamus sicut sunt, ut immobilem rigidumque habitum deligamus, atque tunc impedimus quominus Spiritus flatus agat. Liberi sumus, libertate Iesu Christi pollentes, sed Ipse nos vocat ut quod intra nos est examinemus – desideria, angustias, timores, exspectationes – et illud quod extra nos evenit – "signa temporum" – ut agnoscamus plenae libertatis vias: «Omnia autem probate, quod bonum est tenete» (*1 Thess* 5, 21).

Semper sub Domini lumine

169. Discernere necesse est haud solummodo praecipuis temporibus, vel cum graves quaestiones sunt solvendae, vel cum aliquid magni ponderis est decernendum. Hoc certaminis instrumentum est ad melius Dominum sequendum. Quod iugiter nobis opem fert, ut Dei eiusque gratiae tempora agnoscere valeamus, ne inspirationes Domini disperdamus, ne eius invitationem ad adolescendum neglegamus. Saepius hoc in parvis rebus fit, in iis quae levia videntur, quoniam magnanimitas in rebus simplicibus et cotidianis revelatur.[124] Agitur de non ponendis finibus granditati, melioribus pulchrioribus rebus, sed eodem tempore de parvis rebus considerandis, de hodierno munere. Itaque ex omnibus christianis quaerimus ne desinant quotidie conscientiam sincere examinare, cum Domino qui nos diligit constituentes colloquium. Discretio insimul nos inducit ad certa agnoscenda instrumenta quae Dominus suo in amoris arcano consilio praeparat, ne in probis propositis tantum sistamus.

Supernaturale donum

170. Verum est spiritualem discretionem haud amovere subsidium sapientiarum humanarum, exsistentialium, psychologicarum, sociologicarum

[124] Super sepulcrum sancti Ignatii de Loyola hoc sapiens epitaphium invenitur: «*Non coërceri a maximo, contineri tamen a minimo divinum est*».

vel moralium. Sed eas transcendit. Ne ei quidem sufficiunt prudentes Ecclesiae normae. Recordari semper debemus discretionem gratiam esse. Etiamsi rationem prudentiamque complectitur, easdem superat, quoniam de unius nec iterabilis consilii mysterio perspiciendo agitur quod Deus in unumquemque habet quodque inter diversissimos ambitus ac limites efficitur. Non modo temporalem bonum statum respicit, neque delectationem aliquid utile patrandi, neque desiderium quietam conscientiam habendi. In discrimine est meae vitae sensus coram Patre qui me novit meque diligit, verus quidem pro quo meam exsistentiam tradere possim, quam nemo melius quam Ille novit. Discretio denique ad ipsum vitae fontem perducit quae non moritur, id est « ut cognoscant te solum verum Deum et, quem misisti, Iesum Christum » (*Io* 17, 3). Peculiares facultates haud postulantur ab ea neque sapientibus et prudentibus reservatur, atque Pater libenter humilibus se manifestat (cfr *Mt* 11, 25).

171. Etsi Dominus perquam diversimode nobis operantibus loquitur, per alios et singulis momentis, fieri non potest ut continuatae precationis silentium praetermittatur quo melius loquelam illam percipiamus, realem significationem interpretemur inspirationum quas receptas ducimus, anxietates sedemus et totam nostram exsistentiam Dei sub lumine rursus componamus. Ita sinimus nasci novam illam synthesin quae e vita a Spiritu illuminata oritur.

Loquere, Domine

172. Attamen usu venire potest quod in ipsa precatione nos disponendos et cum Spiritus libertate comparandos vitemus, qui ut vult operatur. Memoria tenere oportet orantem discretionem requirere ut incipiatur ab auscultandi habitu: Dominum, alios, ipsas res quae novis semper rationibus nos interrogant. Solummodo ille qui ad auscultandum est paratus, libertatem habet deponendi suam opinionem partialem vel haud sufficientem, suas consuetudines, sua schemata. Sic re est paratus ad vocationem recipiendam quae eius certitudines frangit, sed eum ad meliorem vitam ducit, quoniam non sufficit ut omnia bene procedant, omnia sint quieta. Fieri potest ut plus praebeat Deus, et in nostra commoda mentis evagatione hoc non agnoscimus.

173. Hic auscultandi habitus secum fert profecto Evangelio oboedientiam ut postremo discernendi principio, verum etiam Magisterio quod illud tuetur, cum reperire studeat in Ecclesiae thesauro quod magis frugiferum esse potest hodiernae saluti. Non agitur de praeceptis adhibendis vel ad praeterita redeundo, quoniam eaedem solutiones ad omnes circumstantias

non conveniunt et quod utile in quibusdam adiunctis fuit, in aliis inutile esse potest. Spirituum discretio a rigore nos expedit, qui in conspectu perennis Resuscitati hodie locum non habet. Spiritus unus obscuriora rei penetralia ingredi et omnes eius facies pependere valet, ut alio lumine Evangelii novitas exoriatur.

Doni crucisque logica

174. Ad discretionem augendam praecipua condicio est educari ad Dei patientiam eiusque tempora, quae numquam sunt nostra. Ipse haud facit ut ignis descendat super infideles (cfr *Lc* 9, 54), neque sinit ut zelantes colligant zizania quae cum tritico crescunt (cfr *Mt* 13, 29). Etiam liberalitas postulatur, quia «beatius est magis dare quam accipere!» (*Act* 20, 35). Non fit discretio ut detegatur quid plus hac ex vita eruere, sed ut agnoscamus quomodo hanc missionem melius exsequi possimus quae nobis in Baptismo est demandata, et id secum fert ut parati simus ad renuntiationes usque ad offerendum omnia. Etenim felicitas est inopinabilis et nobis optimas experientias dono dat cum arcanam illam logicam accipimus quae non est de hoc mundo, sicut asseverabat sanctus Bonaventura disserens de cruce: «Haec est nostra logica».[125] Si quis hac alacritate progreditur, tum suam conscientiam sopiri non patitur ac liberaliter ad discretionem ipse reseratur.

175. Cum coram Deo vitae semitas scrutamur, non dantur spatia quae manent excepta. Omnibus in exsistentiae partibus continenter crescere possumus ac Deo offerre aliquid plus, in iis quoque ubi acriores difficultates experimur. At a Spiritu Sancto oportet postulemus ut nos liberet et metum illum depellat qui efficit ut eum aditu arceamus quibusdam nostrae vitae in partibus. Qui requirit omnia etiam dat omnia, atque ingredi in nos non vult ut amputet vel debilitet, sed ut plenitudinem praestet. Hoc nos ostendit discretionem non esse inflatam sui inquisitionem, sui commodi studiosam introspectionem, sed verum de nobis ipsis exitum versus mysterium Dei, qui nos adiuvat ut missionem compleamus, ad quam pro fratrum bono nos vocavit.

* * *

176. Optamus ut has considerationes compleat Maria, quandoquidem ipsa plus quam quispiam alius Iesu Beatitudines servavit. Ipsa est quae gau-

[125] *Hexaëmeron*, 1, 30.

dio coram Deo exsultabat, quae omnia in corde suo servabat atque gladio transverberari est passa. Sancta est inter sanctos, magis benedicta, quae sanctitatis viam nos docet nosque comitatur. Ipsa non patitur ut cadentes humi sistamus et interdum nos absque iudicio in ulnas suas accipit. Cum ea sermocinari nos solatur, nos liberat et nos sanctificat. Pluribus verbis non indiget Mater, non iuvat nos nimis laborare ad illud ei explicandum quod nobis contingit. Sufficit ut etiam atque etiam insusurremus: «Ave Maria...».

177. Speramus haec verba profutura esse ut tota Ecclesia sanctitatis desiderium studiose promoveat. Flagitemus ut Spiritus Sanctus in nos sanctitatis assequendae desiderium infundat ad maiorem Dei gloriam et invicem in hoc proposito exsequendo animum addamus. Sic felicitatem participabimus quam auferre nobis non poterit mundus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XIX mensis Martii, in sollemnitate Sancti Ioseph, anno MMXVIII, Pontificatus Nostri sexto.

FRANCISCUS

CONSTITUTIO APOSTOLICA

TIGRENSIS

In Venetiola nova conditur dioecesis Tigrensis.

FRANCISCUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

ad perpetuam rei memoriam

Quo satius consuleretur spirituali bono Christifidelium sibi creditorum, Venerabilis Frater Georgius Hannibal Quintero Chacón, Episcopus Barcinonensis in Venetiola, audita Conferentia Episcopali Venetiolana, ab hac Apostolica Sede enixe petivit ut quodam dismembrato territorio ab eadem Ecclesia nova conderetur dioecesis. Nos quidem, audito faventi voto Venerabilis Fratris Aldi Giordano, Archiepiscopi titulo Tamadensis et in Venetiola Apostolici Nuntii, de consilio Congregationis pro Episcopis admotae postulationi animarum saluti valde profuturae libenter concedendum esse putamus. Summa igitur Nostra potestate sequentia decernimus. A dioecesi Barcinonensi in Venetiola separamus integrum territorium paroeciarum quae nuncupantur: Nuestra Señora de los Ángeles, Virgen del Valle, San Antonio, San Francisco de Asís, Santiago Apóstol, Nuestra Señora de Fátima, Santa Clara, San José de Guanipa, Santísimo Sacramento, Santo Cristo de Pariaguán, Nuestra Señora de la Soledad, San Pedro Apóstol, Santa Rosalía et San Juan Bautista atque ex ita distracto territorio novam Tigrensem dioecesim constituimus, iisdem circumscriptam finibus quibus praefatae paroeciae simul sumptae terminantur. Huius novae dioecesis sedem in loco El Tigre nuncupato ponimus, ibique exstans paroeciale templum, Deo in honorem Beatissimae Virginis «del Valle» dicatum, ad gradum et dignitatem Cathedralis ecclesiae evehimus mandantes ut in eadem Capitulum Canonicorum, ad normam iuris, instituatur. Ceterum novam dioecesim Tigrensem metropolitanae Ecclesiae Cumanensi suffraganeam facimus eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi pro tempore ipsius metropolitanae Ecclesiae subicimus. Dignae sustentationi Praesulis ac novae dioecesis congruo patrimonio provideatur Curiae emolumentis, fidelium oblationibus ac portione ei obveniente ex di-

visione, ad normam canonis 122 Codicis Iuris Canonici facienda, bonorum quae hactenus ad Mensam Episcopalem atque ad dioecesim Barcinonensem in Venetiola pertinuerunt. Ut Pastori novae dioecesis in eius regimine validum tribuatur adiutorium, Consilium Presbyterale, Collegium Consultorum et Consilium a rebus oeconomicis quam primum instituantur. In iis autem quae respiciunt ad Seminarii dioecesani aedificationem atque ad sacrorum alumnorum institutionem, serventur praescripta iuris communis, prae oculis habitis normis ac regulis a Congregatione pro Clericis statutis. Insuper variis rationibus permanens institutio presbyterorum procuretur et cum fas erit, selecti sacerdotes ad studia complenda Romam mittantur. Simul ac dioecesis erectio ad effectum deducta fuerit, eo ipso clerici illi adscripti censeantur dioecesi in cuius territorio ecclesiasticum officium detinent; ceteri vero clerici incardinati maneant seminariique tirones adscripti censeantur illi dioecesi in cuius territorio legitimum habent domicilium. Cetera ad normam iuris canonici expediantur. Acta et documenta quae ad noviter constitutam dioecesim eiusque clericos, fideles et bona temporalia forte respiciunt, a Curia Barcinonensi in Venetiola ad Curiam Tigrensem quam primum transmittantur. Ad haec omnia perficienda deputamus memoratum Apostolicum Nuntium, vel, absente eo, illum, qui curat negotia Apostolicae Nuntiaturae in Venetiola, eisdem tribuentes necessarias et opportunas facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis, cum primum fas erit, remittendi.

Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tricesimo primo mensis Maii, in sollemnitate SS.^{mi} Corporis et Sanguinis Christi, anno Domini bis millesimo duodevicesimo, Pontificatus Nostri sexto.

De mandato Summi Pontificis
PETRUS card. PAROLIN
Secretarius Status

Leonardus Sapienza, *Proton. Apost.*
Marcellus Piva, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 413.117

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabilibus Servis Dei Vincentio Prennushi, ex Ordine Fratrum Minorum, Archiepiscopo Dyrrachiensi, et XXXVII Sociis, martyribus, Beatorum honores decernuntur.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Et multi in Israel obtinuerunt et confortati sunt apud se, ut non manducarent immunda, et elegerunt mori, ut non polluerentur escis et non profanarent testamentum sanctum» (*1 Mac* 1, 62-63).

Sicut nos docet Primus Liber Machabaeorum, in multiplicium persecutionum turbine numquam deerant homines qui propter amorem Dei eiusque legis in serena fortitudine et pace tormenta ferebant atque parati erant etiam vitam ipsam perdere ut illam in Eo iterum reperirent. Itaque dum persecutores sicut umbrae in oblivionis obscuritate in aeternum dissolvuntur, martyres tamquam faces lucidae in caelo resplendent.

Hoc modo etiam Ecclesiae in Albania Venerabiles Servi Dei, vicesimi saeculi persecutionis victimae, victoriam sunt consecuti, erga inimicos eadem sentientes et demonstrantes quae et in Christo (cfr *Phil* 2, 5): veniam, probitatem, fortitudinem, fraternitatem et misericordiam. Horum XXXVIII fidei heroum tribulationis, martyrii et glorificationis historia anno MCMXLV tum coepit quando iniustum et iniquum regimen contendit ut Dei Sanctissimum Nomen e nobili Albaniae terra tolleretur. Attamen numquam fides evelli potuit. Beata Virgo Maria, Mater Boni Consilii, Patrona Nationis, e suo ab iniquis profanato sanctuario Scodrensi etiam tunc in corda fidelium consolationem et pacem irradiavit. Persecutio, quae ultra quadraginta annos saeviit, cuiusque generis credentes complectebatur: clerum, religiosos et laicos, iuvenes et seniores, homines varii gradus socialis et culturalis. Qui ferociter occidebantur, humiliabantur falsis publicis processibus, accusabantur ob conspirationes non actas.

Hi martyres sunt:

1. Vincentius (in saeculo Nicolaus) Prennushi, O.F.M., primum Episcopus Sappensis, ac deinde Archiepiscopus Dyrrachiensis et Primas Albaniae. Restitit regiminis conatui Ecclesiam nationalem efficere, eandem a Roma separando. Ob vexationes in carcere Dyrrachii die XIX mensis Martii anno MCMXLIX obiit.

2. Franciscus Gjini, primum Episcopus titulo Semtensis et Abbas nullius S. Alexandri de Orosci, deinde Episcopus Alexiensis, regiminis improbas actiones contra religionem palam denuntiavit. Manuballistae ictu Scodrae die XI mensis Martii anno MCMXLVIII occisus est. Una cum eo mortui sunt duo franciscales:

3. Cyprianus (in saeculo Dominicus) Nika, O.F.M., presbyter;

4. Matthias (in saeculo Paulus) Prendushi, O.F.M., presbyter, Minister provincialis.

Ab initio regimen praestantiores viros catholicos, praedicationi et conscientiarum formationi deditos, amovere cupiebat. Idcirco iam mense Martio anni MCMXLV manuballistae ictu occisi sunt duo pastores:

5. Lazarus Shantoja, presbyter archidioecesis Scodrensis, obiit die V mensis Martii anno MCMXLV;

6. Andreas Zadeja, presbyter archidioecesis Scodrensis, obiit die XXV mensis Martii anno MCMXLV.

Deinde die IV mensis Martii anno MCMXLVI per manuballistae ictus martyrium passi sunt:

7. Ioannes Fausti, S.I., presbyter, ortus in Italia, olim Pontificii Seminarii Scodrensis in Albania rector;

8. Daniel Dajani, S.I., presbyter;

9. Ioannes (in saeculo Nicolaus) Shllaku, presbyter ex Ordine Fratrum Minorum;

10. Marcus Çuni, Pontificii Seminarii Scodrensis alumnus;

11. Gjelosh Lulashi, laicus;

12. Qerim Sadiku, laicus uxoratus.

Postea diversis in locis ac temporibus per manuballistae ictus occubuerunt:

13. Alfonsus Tracki, ortus in Silesia, presbyter archidioecesis Scodrensis, die XVIII mensis Iulii anno MCMXLVI occisus est;

14. Franciscus Mirakaj, laicus et paterfamilias, obiit mense Septembri anno MCMXLVI;

15. Iosephus Marxen, natus in Germania, presbyter archidioecesis Dyrrachiensis, die XVI mensis Novembris anno MCMXLVI occisus est;

16. Aloisius Prendushi, presbyter dioecesis Sappensis, obiit die XXIV mensis Ianuarii anno MCMXLVII;

17. Dominicus Maçaj, presbyter archidioecesis Scodrensis, obiit die XXVIII mensis Martii anno MCMXLVII;

18. Antonius Zogaj, presbyter archidioecesis Dyrrachiensis, obiit die IX mensis Martii anno MCMXLVIII;

19. Dominicus Malaj, presbyter archidioecesis Scodrensis, obiit die XII mensis Maii anno MCMLIX;

20. Marinus Shkurti, presbyter archidioecesis Scodrensis, obiit mense Aprili anno MCMLXIX;

21. Stephanus Kurti, presbyter archidioecesis Dyrrachiensis, obiit die XX mensis Octobris anno MCMLXXI;

22. Michaël Beltoja, presbyter archidioecesis Scodrensis, obiit die X mensis Februarii anno MCMLXXIV.

Verum inter torturas vel ob vexationes deinde mortui sunt:

23. Bernardinus (in saeculo Iosephus) Palaj, O.F.M., presbyter; occubuit Scodrae in conventu mutato in carcerem die II mensis Decembris anno MCMXLVI;

24. Seraphinus (in saeculo Ioannes) Koda, O.F.M., presbyter; occubuit in vinculis Alexiae die XI mensis Maii anno MCMXLVII;

25. Ioannes Pantalja, S.I., religiosus, occubuit Scodrae die XXXI mensis Octobris anno MCMXLVII;

26. Marcus Xhani, presbyter archidioecesis Scodrensis, occubuit sub torturis in loco Shpal anno MCMXLVII;

27. Dominicus Plani, presbyter archidioecesis Scodrensis, occubuit sub tormentis Scodrae die XXX mensis Aprilis anno MCMXLVIII;

Eodem anno alii eiusdem archidioecesis presbyteri occisi sunt, nempe:

28. Ejëll Deda, Scodrae die XII mensis Maii;

29. Antonius Muzaj, ibidem vere, die incerto;

30. Petrus Çuni, obiit sub tormentis in loco Koplik die XXXI mensis Iulii;

31. Alexander Sirdani, presbyter archidioecesis Scodrensis, in cloaca mersus occubuit in carcere Koplik, prope Scodram, die XXVI mensis Decembris anno MCMXLVIII;

32. Iosephus Papamihali, ritus Graeco-Catholici Albaniensis presbyter, coactis sane laboribus defessus, vita defunctus est in loco Maliq die XXVI mensis Octobris anno MCMXLVIII;

33. Iacobus Bushati, presbyter archidioecesis Scodrensis, occubuit post torturas Alexiae die XII mensis Septembris anno MCMXLIX;

34. Caspar (in saeculo Michaël) Suma, O.F.M., presbyter; obiit Scodrae die XVI mensis Aprilis anno MCML;

35. Iulius Bonati, presbyter archidioecesis Dyrrachiensis, obiit Dyrrachii die V mensis Novembris anno MCMLI;

36. Antonius Suma, presbyter archidioecesis Scodrensis, occubuit in loco Pistull die XXII mensis Aprilis anno MCMLVIII;

37. Carolus (in saeculo Ndue) Serreqi, O.F.M., presbyter; peculiare martyrium subiit, qui confessionis sigillum infrangere noluit, ideoque ob carceris loci Burrel aerumnas die IV mensis Aprilis anno MCMLIV mortuus est;

38. Maria Tuci, unica mulier in hoc manipulo, quae ad vitam religiosam aspirabat inter Pauperes Filias a Sacris Stigmatibus S. Francisci Assisiensis; mortua est die XXIV mensis Octobris anno MCML, a quodam impio carnifice vexata qui puritatem eius violare cupiebat.

Ecclesia in Albania, quae ex catacumbis exiit, diligenti amore ac pietate indicia suorum filiorum martyrii collegit, ut pretiosum eorum fidei testimonium conferret ad credentium in Christum communitatem restituendam, tot per tempus in silentium coactam.

Inquisitio dioecesana de martyrio peracta est apud Curiam Archidioecesanam Scodrensem a die X mensis Novembris anni MMI usque ad diem VIII mensis Decembris anni MMX, cuius iuridica validitas agnita est per Decretum Congregationis de Causis Sanctorum die IX mensis Martii anno MMXII. Consul-

tores Theologi in congressu peculiari die XVII mensis Decembris anno MMXV congregati faventem tulerunt sententiam de eorum martyrio. Itemque Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die XIX mensis Aprilis anno MMXVI iudicarunt memoratos Venerabiles Servos Dei ob fidelitatem Christo et Ecclesiae occisos esse. Idcirco Nos Ipsi die XXVI mensis Aprilis eodem anno facultatem dedimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum de martyrio promulgaret, ac deinde statuimus ut sollemnis ritus beatificationis Scodrae in Albania die V mensis Novembris anno MMXVI celebraretur.

Hodie igitur Scodrae de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, S.D.B., Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabiles Servos Dei Vincentium Prennushi, O.F.M., Archiepiscopum Dyrrachiensem, et XXXVII Socios, martyres Ecclesiae in Albania, in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Angeli Massafra, O.F.M., Archiepiscopi Metropolitae Scodrensis-Pulatensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Vincentius Prennushi, ex Ordine Fratrum Minorum, Archiepiscopus Dyrrachiensis, et XXXVII Socii, martyres Ecclesiae in Albania, qui tenebroso persecutionis tempore heroico animo fidei lumen accensum servarunt, Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die quinta mensis Novembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Nos igitur hac occasione, una cum Ecclesia in Albania, magnopere laetamur de intrepida fidelique Christo testificatione horum Beatorum, inter quos tum pastores et religiosi pleni ardore et parati ad sacrificia sustinenda inveniuntur tum assidui laici.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die V mensis Novembris, anno MMXVI, Pontificatus Nostri quarto.

De mandato Summi Pontificis
PETRUS Card. PAROLIN
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 345.101

II

Venerabili Servae Dei Leonillae Sgorbati, M.C., religiosae, virgini et martyri, Beatorum honores decernuntur.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Mea profectio in Somaliam responsio est vocationi: Tu, Pater, sic dilexisti Somaliam ut Filium tuum dares... et ego cum illo dico: "Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus oblatus pro salute omnium"» (*Diarium* II, folium 45).

Caritatis mandatum, quod Dominus Iesus suis reliquit discipulis in novissima cena, in Venerabili Serva Dei Leonilla Sgorbati promptam et magnanimam invenit responsionem. Fautrix pacis in ambitu violentiae, nuntiatrix divinae consolationis, testis veritatis libertatisque in mundo occlusionis et oppressionis, soror Leonilla vitam suam Agno immolato concredidit et intima cum persuasione Crucis mysterium participavit.

Nata est die IX mensis Decembris anno MCMXL in loco vulgo dicto *Rezzanello di Gazzola,* prope Placentiam, in Italia. In fonte baptismali nomen accepit Rosam. Familia, ruricola et patriarchali forma, praebuit ei educationem sincera vita christiana insignitam eiusque alacrem et redundantem indolem direxit. Die IX mensis Octobris anno MCML cum familia ad Sextum Sancti Ioannis iuxta Mediolanum transmigravit. Post patris obitum in collegium Sororum Pretiosissimi Sanguinis ad complendum studiorum curriculum missa est. Illic repperit Iesum et Evangelium ac vivere secundum hoc Verbum decrevit. In Collegii sacello mense Aprili anno MCMLII Venerabilis Serva Dei experientiam spiritualem habuit quae in totam vitam eam signavit, sicut scripsit: «Illo remoto die me inhabitatam sentii, ac tu me tenuisti, Domine. Deinceps numquam fui sola... iugiter inhabitata». Consensum suum Domino dixit atque die V mensis Maii anno MCMLXIII Institutum Sororum Missionariarum a Consolata est ingressa. Die XX eiusdem mensis coepit postulatum in oppido Fano Sancti Eufredi atque aliquot post menses novitiatum Nepi, sub sapienti moderatione sororis Paulinae Emiliani quae docuit eam stabilem fidelemque firmitatem animi ad mentem fundatoris Instituti, beati Iosephi Allamano, acquirere. Die XXII mensis Novembris anno MCMLXV prima vota religiosa emisit. Deinde in Angliam missa est ad studiorum curricu-

la perficienda ut aegrorum ministra fieret. Completa praeparatione, anno MCMLXX missionaria Keniam petivit. Die XIX mensis Novembris anno MCMLXXII professionem perpetuam nuncupavit. Irrevocabilem suum consensum una sententia edixit memoratae novitiatus magistrae scripta: «Velim ut versus Dominum illud possemus affirmare quod nonnumquam in ecclesia canimus quodque ego dicere non audeo: "Domine, simplici laetantique corde omnia dedi". Sed spero quodam die Dominum sua in bonitate me adiuturum omnia ei dare vel ipsum ea sumpturum... quoniam Ipse novit me revera hoc cupere, Ipse novit». In Kenia, primum quidem in urbe Nyeriensi ac denide in oppido vulgo Nkubu, suum prestitit ministerium, praesertim in valetudinario necnon in schola pro aegrorum ministris, usque ad mortem maxime sua dona impendens.

Ab anno MMI varia itinera perfecit inter Keniam et Somaliam, ut ibi scholam pro aegrorum ministris incoharet. Vidit hanc terram decem annis belli intestini cruciatam esse, anarchia, inopia, plurimis victimis, campis profugorum, latrocinatione signatam, ibique insitum insaniae religiosae furorem qui catholicos missionarios, praecipue albos, homines considerabat exterminandos. Unum apertum valetudinarium exstitit in urbe Mogadiscensi, videlicet illud ad humanam institutionem vulgo appellatam «S.O.S. Kinderdorf International» pertinens, ubi religiosae tamquam voluntariae operabantur. In Somalia verum politica socialisque contentio magis magisque exacuebatur atque, sicut animadverti poterat, etiam inter nonnullos alumnos scholae pro aegrorum ministris diffundebatur huiusmodi insaniae religiosae islamicae furor.

Die XVII mensis Septembris anno MMVI soror Leonilla Sgorbati percussa est ictibus glandium a duobus viris qui illam exspectaverunt dum ex valetudinario domi rediebat. Quidam muslimus, pater quattuor filiorum, munus habens eam custodiendi in hoc brevi itinere, conatus est consequi aggressorem qui illam percusserat, sed alter vir inter autoraedas stantes ante valetudinarium absconditus eum occidit. In valetudinario inde cuncta perfecta sunt ad vitam eius salvandam multique accurrebant sanguinem suum ei donaturi, sicut ipsa Venerabilis Serva Dei tribus quoque mensibus consueverat agere uti sanguinis donatrix. Antequam exspiraret, soror manum eius tenens audivit eam clare susurrare: «Venia, venia, venia». Haec ultima erant eius verba.

Interfectio Venerabilis Servae Dei in contextu vehementis persecutionis intellegitur, signatae fanatico studio et insania religiosa, quae convolvit etiam

sororum communitatem in Somalia manentem. Intentio exacta persecutorum fuit hos percutere qui in nomine Christi homines indigentiores adiuvabant, eos nempe de proselytismo accusando. Quod soror Leonilla Sgorbati martyrium suscepit, haud improvisum fuit eventum, sed potius cursus perfectio quem totam per vitam explebat. Ipsa eucharistica spiritualitate alebatur. Dicebat enim: «Si Eius corpus ac meum unum sunt, si Eius sanguis ac meus unum sunt, itaque fieri potest iugiter esse in Eo amoris donum, Eius donum, pro omnibus. Semper, unoquoque temporis momento! Tunc possibile est semper testari Eum esse nosque diligere». Venerabilis Serva Dei conscia sane erat quam periculosum ipsi eiusque sororibus esset vel tantum viam transire. Revera dicebat: «Est quaedam glans cum superscripto meo nomine atque Deus solus novit quando adveniet». Sed firma fide addidit: «Vitam meam Domino dedi Ipseque de me quidquid vult facere potest». Unica ratio eius mortis fuit quod erat christiana et consecrata, congrua testis Christi, quem imitari cupiebat usque ad extremum spiritum veniam implorans pro suis aggressoribus.

Martyrii Venerabilis Servae Dei fama cito diffusa est in christiana communitate, qua de re a die XVI mensis Octobris anno MMXIII ad diem XV mensis Ianuarii anno MMXIV apud Curiam ecclesiasticam Gibutensem peracta est Inquisitio dioecesana, cuius vim iuridicam Congregatio de Causis Sanctorum decreto die XIX mensis Septembris anno MMXIV approbavit. *Positione* confecta, die VI mensis Aprilis anno MMXVII habitus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, in quo prospero cum exitu disceptatum est de martyrio Venerabilis Servae Dei. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die XVII mensis Octobris anno MMXVII coadunati, agnoverunt eam interfectam esse in odium fidei, pro fidelitate Christo et Ecclesiae. Nos Ipsi facultatem fecimus Congregationi de Causis Sanctorum ut Decretum de martyrio ederet. Insuper decrevimus ut beatificationis ritus celebraretur die XXVI mensis Maii anno MMXVIII in ecclesia cathedrali Placentiae, in Italia.

Hodie igitur de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, S.D.B., Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabilem Servam Dei Leonillam Sgorbati in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Georgii Bertin, O.F.M., Episcopi Gibutensis, Administratoris Apostolici «ad nutum Sanctae Sedis» Mogadiscensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium ex-

plentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Serva Dei Leonilla Sgorbati (in saeculo: Rosa), virgo et martyr, Soror professa Instituti Missionariarum a Consolata, Evangelii testis usque ad sanguinis effusionem, quae occisoribus suis ignovit, Beatae nomine in posterum appelletur, atque die septima decima mensis Septembris, qua martyr occisa est et qua in caelum orta est, quotannis in locis et modis iure statutis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Aetate nostra, qua plures homines terrore mortis vel tantum minarum correpti, timent fidem in Christum palam confiteri ac indigentes pauperioresque oppressos ab iniquis iuvare, haec Beata eximium exemplum cunctis dedit spiritus fortitudinis atque verae caritatis, *quae omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet* (1 Cor 13,7). Ipsa etiam commendabilis est, quia caritate compulsa, sollicite adiuvit mulieres pregnantes et multos parvulos nascituros, in eis Iesu Infantis inspiciens vultum.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVI mensis Maii, anno MMXVIII, Pontificatus Nostri sexto.

De mandato Summi Pontificis
PETRUS Card. PAROLIN
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 420.312

HOMILIA

Ad Moderatores Ecclesiarum et Communitatum christianarum Medii Orientis, Bari. Adhortatio introductoria Summi Pontificis ad orationem oecumenicam pro pace.*

Cari Fratelli,

siamo giunti pellegrini a Bari, finestra spalancata sul vicino Oriente, portando nel cuore le nostre Chiese, i popoli e le molte persone che vivono situazioni di grande sofferenza. A loro diciamo: «vi siamo vicini». Cari Fratelli, grazie di cuore per essere venuti qui con generosità e prontezza. E sono tanto grato a tutti voi che ci ospitate in questa città, città dell'incontro, città dell'accoglienza.

Nel nostro cammino comune ci sostiene la Santa Madre di Dio, qui venerata come *Odegitria*: colei che mostra la via. Qui riposano le reliquie di San Nicola, vescovo dell'Oriente la cui venerazione solca i mari e valica i confini tra le Chiese. Il Santo taumaturgo interceda per guarire le ferite che tanti portano dentro. Qui contempliamo l'orizzonte e il mare e ci sentiamo spinti a vivere questa giornata con la mente e il cuore rivolti al Medio Oriente, crocevia di civiltà e culla delle grandi religioni monoteistiche.

Lì è venuto a visitarci il Signore, «sole che sorge dall'alto».[1] Da lì si è propagata nel mondo intero la luce della fede. Lì sono sgorgate le fresche sorgenti della spiritualità e del monachesimo. Lì si conservano riti antichi unici e ricchezze inestimabili dell'arte sacra e della teologia, lì dimora l'eredità di grandi Padri nella fede. Questa tradizione è un tesoro da custodire con tutte le nostre forze, perché in Medio Oriente ci sono le radici delle nostre stesse anime.

Ma su questa splendida regione si è addensata, specialmente negli ultimi anni, una fitta coltre di tenebre: guerra, violenza e distruzione, occupazioni e forme di fondamentalismo, migrazioni forzate e abbandono, il tutto nel silenzio di tanti e con la complicità di molti. Il Medio Oriente è divenuto terra di gente che lascia la propria terra. E c'è il rischio che la presenza

* Die 7 Iulii 2018.
[1] *Lc* 1, 78.

di nostri fratelli e sorelle nella fede sia cancellata, deturpando il volto stesso della regione, perché un Medio Oriente senza cristiani non sarebbe Medio Oriente.

Questa giornata inizia con la preghiera, perché la luce divina diradi le tenebre del mondo. Abbiamo già acceso, davanti a San Nicola, la « lampada uniflamma », simbolo della Chiesa una. Insieme desideriamo accendere oggi una fiamma di speranza. Le lampade che poseremo siano segno di una luce che ancora brilla nella notte. I cristiani, infatti, sono luce del mondo [2] non solo quando tutto intorno è radioso, ma anche quando, nei momenti bui della storia, non si rassegnano all'oscurità che tutto avvolge e alimentano lo stoppino della speranza con l'olio della preghiera e dell'amore. Perché, quando si tendono le mani al cielo in preghiera e quando si tende la mano al fratello senza cercare il proprio interesse, arde e risplende il fuoco dello Spirito, Spirito di unità, Spirito di pace.

Preghiamo uniti, per invocare dal Signore del cielo quella pace che i potenti in terra non sono ancora riusciti a trovare. Dal corso del Nilo alla Valle del Giordano e oltre, passando per l'Oronte fino al Tigri e all'Eufrate, risuoni il grido del Salmo: « Su di te sia pace! ».[3] Per i fratelli che soffrono e per gli amici di ogni popolo e credo, ripetiamo: *Su di te sia pace!* Col salmista imploriamolo in modo particolare per Gerusalemme, città santa amata da Dio e ferita dagli uomini, sulla quale ancora il Signore piange: *Su di te sia pace!*

Sia pace: è il grido dei tanti Abele di oggi che sale al trono di Dio. Per loro non possiamo più permetterci, in Medio Oriente come ovunque nel mondo, di dire: « Sono forse io il custode di mio fratello? ».[4] L'indifferenza uccide, e noi vogliamo essere voce che contrasta l'omicidio dell'indifferenza. Vogliamo dare voce a chi non ha voce, a chi può solo inghiottire lacrime, perché il Medio Oriente oggi piange, oggi soffre e tace, mentre altri lo calpestano in cerca di potere e ricchezze. Per i piccoli, i semplici, i feriti, per loro dalla cui parte sta Dio, noi imploriamo: *sia pace!* Il « Dio di ogni consolazione »,[5] che risana i cuori affranti e fascia le ferite,[6] ascolti oggi la nostra preghiera.

[2] Cfr *Mt* 5, 14.
[3] 122, 8.
[4] *Gen* 4, 9.
[5] *2 Cor* 1, 3.
[6] Cfr *Sal* 147, 3.

ALLOCUTIO

Ad Moderatores Ecclesiarum et Communitatum christianarum Medii Orientis, Bari.*

Cari fratelli e sorelle,

Sono molto grato per la condivisione che abbiamo avuto la grazia di vivere. Ci siamo aiutati a riscoprire la nostra presenza di cristiani in Medio Oriente, come fratelli. Essa sarà tanto più profetica quanto più testimonierà Gesù Principe della pace.[1] Egli non impugna la spada, ma chiede ai suoi di rimetterla nel fodero.[2] Anche il nostro essere Chiesa è tentato dalle logiche del mondo, logiche di potenza e di guadagno, logiche sbrigative e di convenienza. E c'è il nostro peccato, l'incoerenza tra la fede e la vita, che oscura la testimonianza. Sentiamo di doverci convertire ancora una volta al Vangelo, garanzia di autentica libertà, e di farlo con urgenza ora, nella notte del Medio Oriente in agonia. Come nella notte angosciosa del Getsemani, non saranno la fuga[3] o la spada[4] ad anticipare l'alba radiosa di Pasqua, ma il dono di sé a imitazione del Signore.

La buona notizia di Gesù, crocifisso e risorto per amore, giunta dalle terre del Medio Oriente, ha conquistato il cuore dell'uomo lungo i secoli perché legata non ai poteri del mondo, ma alla forza inerme della croce. Il Vangelo ci impegna a una quotidiana conversione ai piani di Dio, a trovare in Lui solo sicurezza e conforto, ad annunciarlo a tutti e nonostante tutto. La fede dei semplici, tanto radicata in Medio Oriente, è sorgente da cui attingere per abbeverarci e purificarci, come avviene quando torniamo alle origini, andando pellegrini a Gerusalemme, in Terra Santa o nei santuari dell'Egitto, della Giordania, del Libano, della Siria, della Turchia e degli altri luoghi sacri di quelle regioni.

Incoraggiati gli uni dagli altri, abbiamo dialogato fraternamente. È stato un segno che l'incontro e l'unità vanno cercati sempre, senza paura delle diversità. Così pure la pace: va coltivata anche nei terreni aridi delle contrap-

* Die 7 Iulii 2018.
[1] Cfr *Is* 9, 5.
[2] Cfr *Gv* 18, 11.
[3] Cfr *Mt* 26, 56.
[4] Cfr *Mt* 26, 52.

posizioni, perché oggi, malgrado tutto, non c'è alternativa possibile alla pace. Non le tregue garantite da muri e prove di forza porteranno la pace, ma la volontà reale di ascolto e dialogo. Noi ci impegniamo a camminare, pregare e lavorare, e imploriamo che l'arte dell'incontro prevalga sulle strategie dello scontro, che all'ostentazione di minacciosi *segni di potere* subentri il *potere di segni* speranzosi: uomini di buona volontà e di credo diversi che non hanno paura di parlarsi, di accogliere le ragioni altrui e di occuparsi gli uni degli altri. Solo così, avendo cura che a nessuno manchino il pane e il lavoro, la dignità e la speranza, le urla di guerra si muteranno in canti di pace.

Per fare questo è essenziale che chi detiene il potere si ponga finalmente e decisamente al vero servizio della pace e non dei propri interessi. Basta ai tornaconti di pochi sulla pelle di molti! Basta alle occupazioni di terre che lacerano i popoli! Basta al prevalere delle verità di parte sulle speranze della gente! Basta usare il Medio Oriente per profitti estranei al Medio Oriente!

La guerra è la piaga che tragicamente assale quest'amata regione. Ne è vittima soprattutto la povera gente. Pensiamo alla martoriata Siria, in particolare alla provincia di Deraa. Lì sono ripresi aspri combattimenti che hanno provocato un ingente numero di sfollati, esposti a sofferenze terribili. La guerra è figlia del potere e della povertà. Si sconfigge rinunciando alle logiche di supremazia e sradicando la miseria. Tanti conflitti sono stati fomentati anche da forme di fondamentalismo e di fanatismo che, travestite di pretesti religiosi, hanno in realtà bestemmiato il nome di Dio, che è pace, e perseguitato il fratello che da sempre vive accanto. Ma la violenza è sempre alimentata dalle armi. Non si può alzare la voce per parlare di pace mentre di nascosto si perseguono sfrenate corse al riarmo. È una gravissima responsabilità, che pesa sulla coscienza delle nazioni, in particolare di quelle più potenti. Non si dimentichi il secolo scorso, non si scordino le lezioni di Hiroshima e Nagasaki, non si trasformino le terre d'Oriente, dove è sorto il Verbo della pace, in buie distese di silenzio. Basta contrapposizioni ostinate, basta alla sete di guadagno, che non guarda in faccia a nessuno pur di accaparrare giacimenti di gas e combustibili, senza ritegno per la casa comune e senza scrupoli sul fatto che il mercato dell'energia detti la legge della convivenza tra i popoli!

Per aprire sentieri di pace, si volga invece lo sguardo a chi supplica di convivere fraternamente con gli altri. Si tutelino tutte le presenze, non solo

quelle maggioritarie. Si spalanchi anche in Medio Oriente la strada verso il diritto alla comune cittadinanza, strada per un rinnovato avvenire. Anche i cristiani sono e siano cittadini a pieno titolo, con uguali diritti.

Fortemente angosciati, ma mai privi di speranza, volgiamo lo sguardo a Gerusalemme, città per tutti i popoli, città unica e sacra per cristiani, ebrei e musulmani di tutto il mondo, la cui identità e vocazione va preservata al di là delle varie dispute e tensioni, e il cui *status quo* esige di essere rispettato secondo quanto deliberato dalla Comunità internazionale e ripetutamente chiesto dalle comunità cristiane di Terra Santa. Solo una soluzione negoziata tra Israeliani e Palestinesi, fermamente voluta e favorita dalla Comunità delle nazioni, potrà condurre a una pace stabile e duratura, e garantire la coesistenza di due Stati per due popoli.

La speranza ha il volto dei bambini. In Medio Oriente, da anni, un numero spaventoso di piccoli piange morti violente in famiglia e vede insidiata la terra natia, spesso con l'unica prospettiva di dover fuggire. Questa è la morte della speranza. Gli occhi di troppi fanciulli hanno passato la maggior parte della vita a vedere macerie anziché scuole, a sentire il boato sordo di bombe anziché il chiasso festoso di giochi. L'umanità ascolti – vi prego – il grido dei bambini, la cui bocca proclama la gloria di Dio.[5] È asciugando le loro lacrime che il mondo ritroverà la dignità.

Pensando ai bambini – non dimentichiamo i bambini! –, tra poco faremo librare in aria, insieme ad alcune colombe, il nostro desiderio di pace. L'anelito di pace si levi più alto di ogni nube scura. I nostri cuori si mantengano uniti e rivolti al Cielo, in attesa che, come ai tempi del diluvio, torni il tenero ramoscello della speranza.[6] E il Medio Oriente non sia più *un arco di guerra* teso tra i continenti, ma *un'arca di pace* accogliente per i popoli e le fedi. Amato Medio Oriente, si diradino da te le tenebre della guerra, del potere, della violenza, dei fanatismi, dei guadagni iniqui, dello sfruttamento, della povertà, della disuguaglianza e del mancato riconoscimento dei diritti. «Su te sia pace»[7] – insieme: «Su te sia pace» [ripetono] –, in te giustizia, sopra di te si posi la benedizione di Dio. Amen.

[5] Cfr *Sal* 8, 3.
[6] Cfr *Gen* 8, 11.
[7] *Sal* 122, 8.

NUNTIUS

Ad participes III Conferentiae Internationalis «Catholicae theologicae ethicae in Ecclesia universali» (Serai, 26-29 Iulii 2018).

Dear Brothers and Sisters!

I greet all you taking part in this, your third worldwide conference on theological ethics. It takes place in Sarajevo, a city of great symbolic value for the journey of reconciliation and peacemaking after the horrors of a recent war that brought so much suffering to the people of that region.

Sarajevo is a city of bridges. Your meeting is inspired by this dominant motif, which warns of the need to build, in an environment of tension and division, new paths of closeness between peoples, cultures, religions, visions of life and political orientations. I have appreciated this effort of yours from the beginning, when the members of your planning committee visited me in the Vatican last March.

The theme of your meeting is one to which I myself have often called attention: the need to build bridges, not walls. I keep repeating this in the lively hope that people everywhere will pay attention to this need that is increasingly acknowledged, albeit at times resisted by fear and forms of regression. Without renouncing prudence, we are called to recognize every sign and mobilize all our energy in order to remove the walls of division and to build bridges of fraternity everywhere in the world.

The three focal points of your meeting intersect along this journey of bridge building in a critical time like our own. You have given a central place to the ecological challenge, since certain of its aspects can create grave imbalances not only in terms of the relationship between man and nature, but also between generations and peoples. This challenge – as it emerges from the Encyclical *Laudato Si'* – is not simply one of many, but the broader backdrop for an understanding of both ecological ethics and social ethics. For this reason, your concern for the issue of migrants and refugees is very serious and provokes a *metanoia* that can foster ethical and theological reflection, even before inspiring suitable pastoral attitudes and responsible and carefully planned political policies.

In this complex and demanding scenario, there is need for individuals and institutions capable of assuming a renewed leadership. There is no need, on the other hand, for hurling slogans that often remain empty, or for antagonism between parties jockeying for the front position. We require a leadership that can help to find and put into practice a more just way for all of us to live in this world as sharers in a common destiny.

With regard to the question of how theological ethics can make its own specific contribution, I find insightful your proposal to create a network between persons on the various continents who, with different modalities and expressions, can devote themselves to ethical reflection in a theological key in an effort to find therein new and effective resources. With such resources, suitable analyses can be carried out, but more importantly, energies can be mobilized for a praxis that is compassionate and attentive to tragic human situations, and concerned with accompanying them with merciful care. To create such a network, it is urgent first to build bridges among yourselves, to share ideas and programmes, and to develop forms of closeness. Needless to say, this does not meaning striving for uniformity of viewpoints, but rather seeking with sincerity and good will a convergence of purposes, in dialogical openness and the discussion of differing perspectives. Here you will find helpful a particular form of competence, all the more urgent and complex today, to which I referred in the Foreword of the recent Apostolic Constitution *Veritatis Gaudium*. In mentioning the fundamental criteria for a renewal and a relaunching of ecclesiastical studies, I stressed the importance of "wide-ranging dialogue" (No. 4b), which can serve as the basis for that interdisciplinary and transdisciplinary openness so vital also for theology and for theological ethics. I also pointed to "the urgent need for 'networking' between those institutions worldwide that cultivate and promote ecclesiastical studies" (No. 4d).

I encourage you, as men and women working in the field of theological ethics, to be passionate for such dialogue and networking. This approach can inspire analyses that will be all the more insightful and attentive to the complexity of human reality. You yourselves will learn ever better how to be faithful to the word of God which challenges us in history, and to show solidarity with the world, which you are not called to judge but rather to offer new paths, accompany journeys, bind hurts and shore up weakness.

You already have over ten years of experience in building such bridges in your association, *Catholic Theological Ethics in the World Church*. Your international meetings in Padua (2006) and Trent (2010), your regional meetings on different continents and your various initiatives, publications and teaching activities, have taught you a style of sharing which I trust you will pursue in a way that will prove fruitful for the entire Church. I join you in thanking the officers who have come to the end of their term and those now taking up their responsibilities; I will remember them in my prayers. To all of you I cordially impart my blessing, and I ask you, please, to pray for me.

From the Vatican, 11 July 2018

FRANCIS

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI

I

RESCRIPTUM « EX AUDIENTIA SS.MI »

Nova redactio n. 2267 *Catechismi Catholicae Ecclesiae* de poena mortis.

Summus Pontifex Franciscus, in Audientia die XI mensis Maii anno MMXVIII Praefecto Congregationis pro Doctrina Fidei concessa, hanc novam Catechismi Catholicae Ecclesiae paragraphi 2267 approbavit formulam, quam alias iussit in linguas verti atque cunctas in praedicti Catechismi versiones inseri.

De poena mortis

2267. Quod auctoritas legitima, processu ordinario peracto, recurrere posset ad poenam mortis, diu habitum est utpote responsum nonnullorum delictorum gravitati aptum instrumentumque idoneum, quamvis extremum, ad bonum commune tuendum.

His autem temporibus magis magisque agnoscitur dignitatem personae nullius amitti posse, nec quidem illius qui scelera fecit gravissima. Novus insuper sanctionis poenalis sensus, quoad Statum attinet, magis in dies percipitur. Denique rationes efficientioris custodiae excogitatae sunt quae in tuto collocent debitam civium defensionem, verum nullo modo imminuant reorum potestatem sui ipsius redimendi.

Quapropter Ecclesia, sub Evangelii luce, docet « poenam capitalem non posse admitti quippe quae repugnet inviolabili personae humanae dignitati »[1] atque Ipsa devovet se eidemque per omnem orbem abolendae.

[1] FRANCISCUS, *Sermo ad participantes conventum a Pontificio Consilio de Nova Evangelizatione Promovenda provectum* (die XI mensis Octobris anno MMXVII): *L'Osservatore Romano* (die XIII mensis Octobris anno MMXVII), 5.

Hoc Rescriptum typis edetur per publicationem in actis diurnis *L'Osservatore Romano* habetque vigorem eodem die, ac deinde foras dabitur in *Actis Apostolicae Sedis.*

Aloisius F. Card. Ladaria, S.I.
Congregationis pro Doctrina Fidei Praefectus

Datum ex Aedibus Vaticanis, die I mensis Augusti, a. D. MMXVIII, in memoria sancti Alfonsi Mariae de' Liguori.

II

Epistula ad Episcopos de nova redactione n. 2267 *Catechismi Catholicae Ecclesiae* de poena mortis.

1. Il Santo Padre Francesco, nel Discorso in occasione del venticinquesimo anniversario della pubblicazione della Costituzione Apostolica *Fidei depositum*, con la quale Giovanni Paolo II promulgava il *Catechismo della Chiesa Cattolica*, ha chiesto che fosse riformulato l'insegnamento sulla pena di morte, in modo da raccogliere meglio lo sviluppo della dottrina avvenuto su questo punto negli ultimi tempi.[1] Questo sviluppo poggia principalmente sulla coscienza sempre più chiara nella Chiesa del rispetto dovuto ad ogni vita umana. In questa linea affermava Giovanni Paolo II: « Neppure l'omicida perde la sua dignità personale e Dio stesso se ne fa garante ».[2]

2. In tale luce va compreso l'atteggiamento verso la pena di morte che si è affermato sempre più largamente nell'insegnamento dei pastori e nella sensibilità del popolo di Dio. Se, infatti, la situazione politica e sociale di un tempo rendeva la pena di morte uno strumento accettabile per la tutela del bene comune, oggi la sempre più viva coscienza che la dignità di una persona non viene perduta neanche dopo aver commesso crimini gravissimi, l'approfondita comprensione del senso delle sanzioni penali applicate dallo Stato, e la messa a punto di sistemi di detenzione più efficaci che assicurano la doverosa difesa dei cittadini, hanno dato luogo ad una nuova consapevolezza che ne riconosce l'inammissibilità e perciò chiede la sua abolizione.

3. In questo sviluppo è di grande importanza l'insegnamento della Lettera enciclica *Evangelium vitae* di Giovanni Paolo II. Il Santo Padre annoverava tra i segni di speranza di una nuova civiltà della vita « la sempre più diffusa avversione dell'opinione pubblica alla pena di morte anche solo come strumento di "legittima difesa" sociale, in considerazione delle possibilità di cui dispone una moderna società di reprimere efficacemente il crimine in modi

[1] Cf. Francesco, *Discorso ai partecipanti all'incontro promosso dal Pontificio Consiglio per la Promozione della Nuova Evangelizzazione* (11 ottobre 2017): *L'Osservatore Romano* (13 ottobre 2017), 4.

[2] Giovanni Paolo II, Lett. enc. *Evangelium vitae* (25 marzo 1995), n. 9: *AAS* 87 (1995), 411.

che, mentre rendono inoffensivo colui che l'ha commesso, non gli tolgono definitivamente la possibilità di redimersi».[3] L'insegnamento di *Evangelium vitae* è stato raccolto poi nell'*editio typica* del *Catechismo della Chiesa Cattolica*. In esso, la pena di morte non si presenta come una pena proporzionata alla gravità del delitto, ma si giustifica solo se fosse «l'unica via praticabile per difendere efficacemente dall'aggressore ingiusto la vita di esseri umani», anche se di fatto «i casi di assoluta necessità di soppressione del reo sono ormai molto rari, se non addirittura inesistenti» (n. 2267).

4. Giovanni Paolo II è intervenuto anche in altre occasioni contro la pena di morte, appellandosi sia al rispetto della dignità della persona sia ai mezzi che possiede la società odierna per difendersi dal criminale. Così, nel *Messaggio natalizio* del 1998, egli auspicava «nel mondo il consenso nei confronti di misure urgenti ed adeguate ... per bandire la pena di morte».[4] Il mese successivo, negli Stati Uniti, egli ripeteva: «Un segno di speranza è costituito dal crescente riconoscimento che la dignità della vita umana non deve mai essere negata, nemmeno a chi ha fatto del male. La società moderna possiede gli strumenti per proteggersi senza negare in modo definitivo ai criminali la possibilità di ravvedersi. Rinnovo l'appello lanciato a Natale, affinché si decida di abolire la pena di morte, che è crudele e inutile».[5]

5. La spinta ad impegnarsi per l'abolizione della pena di morte è continuata con i Pontefici successivi. Benedetto XVI richiamava «l'attenzione dei responsabili della società sulla necessità di fare tutto il possibile per giungere all'eliminazione della pena capitale».[6] E successivamente auspicava ad un gruppo di fedeli che «le vostre deliberazioni possano incoraggiare le iniziative politiche e legislative, promosse in un numero crescente di Paesi, per eliminare la pena di morte e continuare i progressi sostanziali realizzati per adeguare il diritto penale sia alle esigenze della dignità umana dei prigionieri che all'effettivo mantenimento dell'ordine pubblico».[7]

[3] *Ibid.*, n. 27: *AAS* 87 (1995), 432.

[4] Giovanni Paolo II, *Messaggio Urbi et Orbi per il Santo Natale* (25 dicembre 1998), n. 5: *Insegnamenti* XXI, 2 (1998), 1348.

[5] Id., *Omelia nel Trans World Dome di St. Louis* (27 gennaio 1999): *Insegnamenti* XXII, 1 (1999), 269; cf. *Omelia nella Messa nella Basilica di Nuestra Señora de Guadalupe a Città del Messico* (23 gennaio 1999): «Occorre porre fine al ricorso non necessario alla pena di morte»: *Insegnamenti* XXII, 1 (1999), 123.

[6] Benedetto XVI, Esort. Ap. postsinodale *Africae munus* (19 novembre 2011), n. 83: *AAS* 104 (2012), 276.

[7] Id., *Udienza generale* (30 novembre 2011): *Insegnamenti* VII, 2 (2011), 813.

6. In questa stessa prospettiva Papa Francesco ha ribadito che « oggigiorno la pena di morte è inammissibile, per quanto grave sia stato il delitto del condannato ».[8] La pena di morte, quali che siano le modalità dell'esecuzione, « implica un trattamento crudele, disumano e degradante ».[9] Va inoltre rifiutata « a motivo della difettosa selettività del sistema penale e di fronte alla possibilità dell'errore giudiziario ».[10] È in questa luce che Papa Francesco ha chiesto una revisione della formulazione del *Catechismo della Chiesa Cattolica* sulla pena di morte, in modo che si affermi che « per quanto grave possa essere stato il reato commesso, la pena di morte è inammissibile perché attenta all'inviolabilità e dignità della persona ».[11]

7. La nuova redazione del n. 2267 del *Catechismo della Chiesa Cattolica*, approvata da Papa Francesco, si situa in continuità con il Magistero precedente, portando avanti uno sviluppo coerente della dottrina cattolica.[12] Il nuovo testo, seguendo le orme dell'insegnamento di Giovanni Paolo II in *Evangelium vitae*, afferma che la soppressione della vita di un criminale come punizione per un delitto è inammissibile perché attenta alla dignità della persona, dignità che non viene perduta neanche dopo aver commesso dei crimini gravissimi. A questa conclusione si arriva anche tenendo conto della nuova comprensione delle sanzioni penali applicate dallo Stato moderno, che devono orientarsi innanzitutto alla riabilitazione e reintegrazione sociale del criminale. Infine, visto che la società odierna possiede sistemi di detenzione più efficaci, la pena di morte risulta non necessaria come protezione della vita di persone innocenti. Certamente, resta in piedi il dovere della pubblica autorità di difendere la vita dei cittadini, come è stato sempre insegnato dal

[8] FRANCESCO, *Lettera al Presidente della Commissione internazionale contro la pena di morte* (20 marzo 2015): *L'Osservatore Romano* (20-21 marzo 2015), 7.

[9] *Ibid.*

[10] *Ibid.*

[11] FRANCESCO, *Discorso ai partecipanti all'incontro promosso dal Pontificio Consiglio per la Promozione della Nuova Evangelizzazione* (11 ottobre 2017): *L'Osservatore Romano* (13 ottobre 2017), 5.

[12] Cf. VINCENZO DI LÉRINS, *Commonitorium*, cap. 23: *PL* 50, 667-669. In riferimento alla pena di morte, trattando delle specificazioni dei precetti del decalogo, la Pontificia Commissione Biblica ha parlato di « affinamento » delle posizioni morali della Chiesa: « Con il corso della storia e lo sviluppo delle civiltà, la Chiesa ha pure affinato le proprie posizioni morali riguardanti la pena di morte e la guerra in nome di un culto della vita umana che essa nutre senza cessa meditando la Scrittura e che prende sempre più colore di un assoluto. Ciò che sottende queste posizioni apparentemente radicali è sempre la stessa nozione antropologica di base: la dignità fondamentale dell'uomo creato a immagine di Dio » (*Bibbia e morale. Radici bibliche dell'agire cristiano*, 2008, n. 98).

Magistero e come conferma il *Catechismo della Chiesa Cattolica* nei numeri 2265 e 2266.

8. Tutto questo mostra che la nuova formulazione del n. 2267 del *Catechismo* esprime un autentico sviluppo della dottrina, che non è in contraddizione con gli insegnamenti anteriori del Magistero. Questi, infatti, possono spiegarsi alla luce della responsabilità primaria dell'autorità pubblica di tutelare il bene comune, in un contesto sociale in cui le sanzioni penali si comprendevano diversamente e avvenivano in un ambiente in cui era più difficile garantire che il criminale non potesse reiterare il suo crimine.

9. Nella nuova redazione si aggiunge che la consapevolezza sulla inammissibilità della pena di morte è cresciuta «alla luce del Vangelo».[13] Il Vangelo, infatti, aiuta a comprendere meglio l'ordine creaturale che il Figlio di Dio ha assunto, purificato e portato a pienezza. Ci invita anche alla misericordia e alla pazienza del Signore che dà a ciascuno il tempo per convertirsi.

10. La nuova formulazione del n. 2267 del *Catechismo della Chiesa Cattolica* vuole costituire una spinta a un deciso impegno, anche attraverso un rispettoso dialogo con le autorità politiche, affinché sia favorita una mentalità che riconosca la dignità di ogni vita umana e vengano create le condizioni che consentono di eliminare oggi l'istituto giuridico della pena di morte laddove è ancora in vigore.

Il Sommo Pontefice Francesco, nell'Udienza concessa al sottoscritto Segretario in data 28 giugno 2018, ha approvato la presente Lettera, decisa dalla Sessione Ordinaria di questa Congregazione il 13 giugno 2018, e ne ha ordinato la pubblicazione.

Dato a Roma, dalla Sede della Congregazione per la Dottrina della Fede, il 1° agosto 2018, Memoria di Sant'Alfonso Maria de' Liguori.

Luis F. Card. Ladaria, S.I.
Prefetto

✠ Giacomo Morandi
Arcivescovo titolare di Cerveteri
Segretario

[13] Conc. Ecum. Vat. II, Cost. past. *Gaudium et spes*, n. 4.

CONGREGATIO PRO ECCLESIIS ORIENTALIBUS

AUSTRIAE

de iurisdictionis extentu.

DECRETUM

Pastoralis cura christifidelium orientalium catholicorum, Hierarcha propriae Ecclesiae sui iuris carentium, Ordinariis loci domicilii Supremi Legislatoris voluntate concreditur (cfr can. 916 § 5 CCEO). Apostolica Sedes Ordinariatus autem erexit, ubi iidem fideles plures ac stabiles sunt.

Christifideles catholici ritus byzantini ab Ucraina oriundi et in Austriam migrati Archiepiscopi Vindobonensis curae die 3 mensis Octobris A.D. 1945 concrediti sunt idque die 13 mensis Iunii A.D. 1956 confirmatum est.

Christifideles quoque orientales catholici plurium Ecclesiarum sui iuris una cum fidelibus ritus byzantini in Austria nunc commorantur.

Summus Pontifex Franciscus PP.,

ad eorum pastoralem curam promovendam, die 20 mensis Iulii A.D. 2018, Austriae Ordinariati iurisdictionem omnibus christifidelibus orientalibus catholicis, Hierarcha propriae Ecclesiae sui iuris carentibus, extendere dignatus est. Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus, die 26 mensis Iulii A. D. 2018

✠ Leonardus Card. Sandri
Praefectus

L. ✠ S.

P. Laurentius Lorusso, O.P.
Subsecretarius

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

ANTIOCHENA SYRORUM

Beatificationis seu Declarationis Martyrii Servi Dei Flaviani Michaëlis Melki (in saeculo: Iacobi) e Congregatione Fratrum Sancti Ephraem Episcopi Iazirensis Syrorum († 1915)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Deo gratias agamus. [...] Sacro Cordi confidamus. Sive vivamus sive moriamur, nos omnino Dei sumus».

Verba haec administro suo scripsit Servus Dei Flavianus Michaël Melki, priusquam sanguinem suum pro fide in Christum effundit. In his valide compendiatur tam eius ferventis iter apostolatus quam evangelicae perfectionis vehemens inquisitio, qua tota eius vita denotabatur.

Servus Dei exeunte anno 1858 in pago v.d. *Kalaat Mara* iuxta Mardam, olim Imperii Othomani in dictione, natus est. Familia eius ex traditione Syro-Orthodoxam scilicet in Iacobitarum confessone constitutam se profitebatur. Anno 1868 Servus Dei ad monasterium Sancti Ananiae in oppido *Zaafarane,* quod Ecclesiae Orthodoxae sedis Patriarchatus erat, missus est. Hic fere per decem annos commoratus, praeter theologica studia etiam Syriacam, Arabicam et Turcicam linguam didicit. Anno 1878 diaconus factus est, postea monasterii bibliothecarius et magister nominatus.

Cum hoc orationis meditationisque et studii iter conficeret, consilium in animum volvit amplectendi Catholicam Ecclesiam, quamvis parentes de hoc ei adversarentur; immo frater eundem alligavit et vi traxit ut in monasterium reduceret. Servus Dei suo in proposito perseveravit et ad Libanum iuxta Catholicum Patriarchatum contendit, ut institutionem suam perficeret ad sacerdotalem ordinationem. Fraternitatem Sancti Ephraem ingressus, die 13 mensis Maii anno 1883 Beroeae sacro ordine auctus est.

Praeter munus professoris Martinensi in dioecesano seminario, ei mandatum est ut Iacobitarum et Orthodoxorum pagos rurali in regione *TurAbdin* visitaret. Consuetudinem cum parentibus recuperavit et interdum rediit

eosdem ad visitandos, qui, tempore interposito, in Catholicam Ecclesiam ipsi accesserunt.

Anno 1895 Imperium Othomanum, in provincia *Diyarbakir,* terribilibus caedibus Armenos trucidavit. Ecclesia et domus Servi Dei praedatae et deletae sunt, multi paroeciae incolae interfecti, inter quos etiam Servi Dei mater. Sequentibus annis, multorum pagorum sacrorumque locorum iterum aedificandi operam navavit, dum sacerdotum ex Iacobitis proditorum institutionem consulit. Anno 1897 Episcopus eum Vicarium Generalem nominavit et pastoralem curam propinquorum pagorum ei commendavit. Etiam natali in pago ecclesiam et pro pueris scholam exstruxit. Ab anno 1902 in dioecesim Jazirensem, nunc v.d. *Djézireh* in Turcia, missus est, multis a fidelibus benigne acceptus. Etiam illic ecclesias et scholas pro pueris aedificavit, confraternitates fundavit canonicamque matutinam et vespertinam orationem redintegravit. Anno 1910 Patriarcha eum Vicarium Patriarchalem Mardinensem nominavit et duos post annos a Sancto Pontifici Pio X petivit ut eum eligeret consecraretque Episcopum Iazirensem. Die 19 mensis Ianuarii anno 1913 episcopali dignitate auctus est. Novo in hoc ministerio constitutus populum suum ad egestatem aliasque inopias temperandas generose adiuvavit. Orationi et praedicationi fidelis semper fuit, summa cura amicitiam excoluit una cum dialogo erga non catholicos.

Anno 1915 autem Status Turcicus Armenos, Assyrios, Syros et Graecos, scilicet omnes qui christianam fidem profitebantur, acriter aggressus est. Aestate Dominus Melki, cum audivisset christianos graviter periclitantes, ad Iaziram raptim rediit, unde valde contendit ut impediret coactam eorum deportationem.

Cum autem periculis etiam religiosi moderatores, a militibus insultati, obiectarentur, ab oppidi principe, qui priscus erat amicus, exhortatus est ut iuxta Yazidismi sectatores confugeret, cui Servus Dei respondit dicens: «Plane nequeo fideles meos relinquere ut me servarem, hoc enim et contra fidem meam et contra meum pastorale munus est». Ad dimidiam partem mensis Augusti Servus Dei una cum civitatis principibus, laicis et sacerdotibus deprehensus est. Etiam in captivitate iis operam dedit, qui cum eo eandemque sortem patiebantur, atque consolabatur omnes et exhortabatur ut fidem servarent usque ad finem. Ad militare tribunal deductus est et pertinaciter vim, ictus et contumelias toleravit. Ei denique, ut vitam servaret, proposuerunt ut ad Macometi religionem se converteret; quod ipse autem

summo consilio prompte denegavit. Etiam alii captivi in professione fidei eum secuti sunt, quapropter omnes per focilationem capite damnati sunt. Tum ergo ipse una cum sociis, catenis alligatus, ad ripam Tigridis fluminis deductus ibique vestimentis suis despoliatus, aliis violentiis acceptis, plumbis interfectus est. Erat illa dies 29 mensis Augusti anno 1915.

Cum Servi Dei fama martyrii in communitate ecclesiali valde diffusa esset, a die 8 mensis Aprilis anno 2010 ad diem 30 mensis Septembris anno 2012 apud Antiochenum Syro-Catholicum Patriarchatum Inquisitio eparchialis celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum, per Decretum diei 7 mensis Martii anno 2014, est approbata. Exarata *Positione,* die 21 mensis Iulii anno 2015, positivo cum exitu Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus celebratus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione diei 7 mensis Augusti anno 2015, me Angelo Card. Amato praesidente, agnoverunt ob eiusdem fidem Christi et Ecclesiae interfectum esse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servi Dei Flaviani Michaëlis Melki* (*in saeculo: Iacobi*), *e Congregatione Fratrum Sancti Ephraimi, Episcopi Iazirensis Syrorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 8 mensis Augusti a.D. 2015.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

MASANENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Thomae Choe Yang-eop Sacerdotis Dioecesani (1821-1861)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Qui pascis Israel, intende [...] Excita potentiam tuam et veni, ut salvos facias nos» (*Ps* 80, 2-3).

Dominus gregem suum ducere pergit et suam gloriam in pastoribus et fidelibus refulgere facit. Sic Servus Dei Thomas Choe Yang-eop sua vita Christi Boni Pastoris piae unionis cum populo singulare testimonium praebuit.

Servus Dei christiano in pago v.d. *Saeteo* Meridionali in Corea die 1 mensis Martii anno 1821 natus est, in rerum locorumque adiunctis discriminis et saevae persecutionis erga christianos. Haec perfidia dispositio a dynastia *Joseon* agitabatur, quae iam a saeculo XIV illam regionem dominabat et Confucii doctrina et maiorum cultu communem praecipuam naturam Coreanorum informaverat. Prima publica persecutio iam extremis annis saeculi XVII exarsit, quam postea illius populi in historia aliae secutae sunt. Hac causa christiani saepe alio discedere debuerunt. Haec prudentia in casu parentum Thomae longe non valuit: enim singulo anno intermisso, uterque necatus est. Pater nomine Franciscus canonizatus est, mater autem nomine Maria in numero Beatorum ascripta.

Thomas in Sinis alumnus fuit Macaonensi in seminario, quod regebatur a Parisiensi Societate Missionum Exterarum pro Oriente Extremo. Illis in annis Servi Dei in studiis fuit sodalis Sanctus Andrea Kim Tae-gŏn, qui in odium fidei anno 1846 occisus est. *Acta Martyrum Gihaensium* (1839-1849) et *Byeongoensium* (1846) latine translavit atque die 15 mensis Aprilis 1849 in civitate *Sanghaevi* presbyteratu auctus est.

Conatibus multis captis frustra, potuit demum in patriam redire ibique caritate et zelo magnam operam pastoralem egit, maxime in oppido *Baithi*, unde opus eius dimanavit. Eius apostolatus viatorius nuncupari videtur, enim varios pagos crebro visitabat, Verbum Dei predicans, sacramenta ministrans et omnes ad cohaerentiam vitae exhortans.

Anno 1859 a publicae securitatis custodibus deprehensus est, qui eum percusserunt et nudum in nive reliquerunt. Hoc episodium in vita Servi Dei

non unicum fuit, qui saepissimae humiliationibus et minis passus est, sed animum perseverantiamque fidei et ministeri eius nihil debilitare valuit.

Eius spiritualitas summa essentialitate compendiatur atque in adiunctis culturalibus et politicis Evangelii in evulgationem valde hostilibus summa eius constantia fidei austeritate, fidelitate, humilitate, castitate et denique summa sollicitudine Regni Dei gloriae eminet.

Actuosus et festivus Thomas Choe Yang-eop naturam serenam et simul firmam habuit. Eius spiritualitas humanis et christianis principiis enutrita super conscientiam vivendi in Domini praesentia fundabatur. Servus Dei fuit vir magnae fidei, quae non solum metaphorico sermone martyrum sanguine alebatur. Eius vitae super Verbum Dei innixa est et super orationis vehementissimam experientiam, super fervidam celebrationem Eucharistiae et filialem devotionem in Beatam Mariam Virginem.

Amor in Dominum eum ad se omnino offerendum pro fratribus compulit, maxime per solidamen in egeniores et per promptum habitum ad opera etiam vilissima adiunctis in difficilibus. Eius evangelica simplicitate et benignitate multi etiam, qui Christi fidem non erant amplexi, ad eum accedebant, quibus ille sine discrimine consilia et corporis spiritusque auxilia praebebat. Fuit promotor multarum pastoralium et missionariarum operarum ad fidem christianam suo in populo confirmandam. Ad hunc finem ille reliquit scripta quaedam pro doctrina christiana evulganda in populum, varios hymnos spirituales, qui ipse ad melodias varias aptabat, et litteras.

Post duodecim annos indefessae actuositatis, debilitatus et nimio labore consumptus, correptus typhoidea febri die 15 mensis Iunii anno 1861, vix quadragesimum annum aetatis suae agens, mortali e vita demigravit.

Ob famam sanctitatis a die 3 mensis Decembris anno 2005 ad diem 26 mensis Octobris anno 2006 iuxta Curiam ecclesiasticam Masanensem Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 1 mensis Octobris anno 2010 est approbata. Exarata *Positione*, die 18 mensis Novembris anno 2014 sessio positivo cum exitu habita est Consultorum in Historia peritorum. Deinde secundum normas disceptatum est an Servus Dei virtutes heroum in modum exercuisset. Positivo cum exitu, die 15 mensis Decembris anno 2015 Peculiaris Congressus Theologorum auctus est et die 14 mensis Martii anno 2016 Ordinaria in Sessione Patres Cardinales et Episcopi se congregaverunt, me

Angelo Cardinale Amato praesidente, et agnoverunt Servum Dei virtutes theologales, cardinales et adnexas heroum in gradum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Thomae Choe Yang-eop, Sacerdotis Dioecesani, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 26 mensis Aprilis a.D. 2016.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

SANCTI IACOBI IN CHILE

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Andreae Philomeni García Acosta Laici professi ex Ordine Fratrum Minorum (1800-1853)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Ave, regina sapientia, Dominus te salvet cum tua sorore sancta pura simplicitate. Domina sancta paupertas, Dominus te salvet cum tua sorore sancta humilitate. Domina sancta caritas, Dominus te salvet cum tua sorore sancta oboedientia. Sanctissimae virtutes, omnes vos salvet Dominus, a quo venitis et proceditis » (S. Francisci Assisiensis, *Salutatio Virtutum*).

Sanctus Franciscus suis in scriptis vitae religiosae virtutes « salutat », invicem coniungens eas, ostendens harmonicam actionem gratiae in anima fideli et per eas laudem Deo tribuens, qui est fons et origo omnium bonorum. Felix exitus divinae actionis recolitur in Servo Dei Andrea Philomeno García Acosta, humili fratre professo ex Ordine Fratrum Minorum. Eius vita simplicitatem, humilitatem et laetitiam constanti in inquisitione Dei voluntatis ab eo summe dilecti, expromit. Peregrinus inter homines temporis sui, semitas mundi collustravit ubicumque Christi suavitatem effundens omnesque adhortans ad laudem adorationemque Altissimi.

Servus Dei die 10 mensis Ianuarii anno 1800 in pago v.d. *Ampuyenta*, in Canariarum insula Planaria, tertius ex quattuor filiis ex Gabriele García Acosta et Augustina Acosta Carríon, pauperibus agricolis, natus est. Die 18 mensis Ianuarii eiusdem anni sacro fonte est lustratus. Frequentatio scholae Franciscanorum et propinquitas cum eremo Sancti Petri de Alcantara iam a pueritia eum ad devotam et piam vitam facile disposuerunt. Pascuorum silentium, cum gregi diuturnis horis attenderet, eius naturam contemplativam et spiritum orationis auxit. Fervens amor erga Deum et Virginem Mariam suos inter sodales eum fecit apostolum doctrinae et usus christianarum virtutum. Tricesimum et alterum annum aetatis agens, ob suae regionis paupertatem emigravit in Argentinam et deinde in Uruguaiam, ubi religiosos libros venditans et diffudens vitam degebat.

Suum, in se longe retentum, desiderium Domino se omnino donandi secundans, die 15 mensis Maii anno 1834 apud coenobium Sancti Bernardini Montis Visivi petiit ut veluti simplex oblatus in Ordinem Fratrum Minorum acciperetur. Contrariis adiunctis, scilicet dissensionibus cum Patre Custode

et Ordinis suppressione, sine crimine dilectum sagum Franciscanum bis relinquere debuit et postea renovato proposito sanctificationis rursus induere potuit. Anno 1838 ob revolutionem religiosi ab Uruguaia expulsi sunt. Servus Dei una cum suo spirituali moderatore Fratre Philippo Echenagussia in Chiliam profectus est. In itinere quorundam nauticorum angarias et contumelias ob fidem expertus est, singulari patientia et mansuetudine eminuit, in ignoscendo semper facilis evadit.

In coenobio Recollectae Franciscanae Iacobopolis in Chile, die 10 mensis Iulii anno 1839, vestem oblati rursus induere potuit. Primis initiis munere functus est coqui et patinarum lotoris, deinde stipis collectoris: hoc in officio singularem caritatem et spiritum veri evangelizatoris adhibuit. Semper fuit patiens, affabilis, in oratione receptus, modestus, bonorum consiliorum prodigus, etsi saepe insultabatur et despiciebatur. Cum pro communitate recolligebat et indigentioribus dispensabat cum aedificatione donantium id faciebat et gratitudine beneficiariorum. Cum urbem perlustrabat, carcerem valetudinariumque visitabat, aegrotis medicamenta a se ipso confecta ministrabat et denique moribundos confortabat. Spiritualis operas misericordiae valde exercuit afflictos solando, peccatores admonendo, reconciliando factiosos, doctrinam christianam prope ianuam coenobii docendo. Ita iis panem caritatis partiebat, aliis autem Dei verbi solamen.

Frater «Andresito», ut a populo amabiliter nuncupabatur, fidem servavit heroicum in modum. Cotidie primis horis matutini temporis vigilabat, ad Eucharistiam accedebat, commorabatur in adoratione Sanctissimi Sacramenti, Domini passionem animo et corde contemplabatur, Dei Matrem per rosarii precatoriam coronam honorabat, cor suum ad altiora caeli erigebat, Sanctos in amicos et singulares protectores seligens. Virtus spei eum ad bona caelestia vertebat et efficaciores adhortationes proponebat ut omnes operam darent in praemium aeternum assequendum. Domino semper se committebat firmissimam pacem animi obtinens, difficilioribus etiam in casibus. Sufferentiae tempus serenitate sustinuit, eximiam praestantiam salvificam agnoscens Iesu Christi Crucifixi in communione. Defunctorum animas in Purgatorio, cum quibus singularem instauravit necessitudinem, suffragabatur et Dei misericordiae eas commendabat. Sancti Francisci Assisiensis filius spiritualis, paupertatem exemplari modo exercuit, omni in re vitam parcam, temperantem et poenitentem ostendit.

Mense Ianuario anno 1853 pulmonitide correptus, extremas suas dies, absoluto Dei fulcimento, serenitate degit. Sanctum Viaticum accepit, suis de culpis veniam petivit et die 14 mensis Ianuarii anno 1853 placide animam exhalavit. Tota in Chilia eius mortis notitia profundissimi doloris declarationibus et demonstrationibus accepta est. Omnes eius exuvias videre cupiebant, qua de re in choro coenobii positae sunt. Die 10 mensis Iulii anno 1855 corpus Servi Dei e coemeterio ad coenobium translatum est.

Ob famam sanctitatis, e die 17 mensis Augusti anno 1894 ad diem 26 mensis Novembris anno 1903 prope ecclesiasticam Curiam Sancti Iacobi in Chile Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 20 mensis Octobris anno 1995 est approbata. Exarata *Positione*, disceptatum est secundum normas an Servus Dei virtutes heroum in modum excoluisset. Positivo cum exitu, die 5 mensis Februarii anno 2015 Consultorum Theologorum Congressus celebratus est. Patres Cardinales et Episcopi die 21 mensis Iunii anno 2016 Ordinaria in Sessione congregati, me Angelo Cardinale Amato praesidente, agnoverunt Servum Dei virtutes theologales, cardinales et adnexas heroicum in modum excoluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Andreae Philomeni García Acosta, Laici Professi ex Ordine Fratrum Minorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 8 mensis Iulii a.D. 2016.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

VENTIMILIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Iacobi Viale Sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum (1830-1912)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Certe scio Providentiam me numquam derelicturam esse».

Sancti Francisci, omni in re a Divina Providentia ducti (*Legenda Maior,* III, 10), vestigia sequens, Servus Dei Iacobus Viale vitam suam continuum canticum laudis misericordis voluntatis Altissimi reddidit. Eidem voluntati omnino confisus, uti puer maternis brachiis, hunc spiritum filialis fiduciae omnibus inculcare conatus est et eo evasit sollertissimus in pauperum, persecutorum et denique afflictorum necessitates, ut diceretur, ipse «caritatis personificatio».

Servus Dei die 28 mensis Februarii anno 1830 in parvo pago v.d. *Airole*, Ventimiliensi in dioecesi, natus est eodemque die sacro fonte nomine Caroli Antonii Seraphini lustratus. Vix quintum annum aetatis agens matre orbatus, primum a parocho loci institutus est, deinde Ventimiliensi in civitate studiis attendit. Die 1° mensis Novembris sacramentum Confirmationis accepit pauloque post ad sacram Eucharistiam primitus accessit.

Minorum Fratrum propositi vitae summa admiratione, etiam propensi exempli gratia patrui eiusdem Ordinis sodalis perfusus, anno 1847 seraphicas lanas induit, nomen Iacobi sumens, et novitiatus annum iuxta pagi v.d. *Oregina* coenobium Nostrae Dominae Lauretanae incepit. Patris Magistri Venceslai de Airole prudenti ac benevoli moderamine ad professionem sollemnem se paravit, quam die 29 mensis Augusti anno 1848 emisit. Philosophicis theologicisque studiis expletis, die 18 mensis Decembris anno 1852 presbyteratu auctus est.

Ad Genuense coenobium SS.mae Annuntiatae destinatus, Servus Dei, laudabili zelo ad ministerium praedicationis reconciliationisque curam suam impendit. Eodem tempore institutionem suam curavit et die a Beato Pio IX indultum facultatis legendi ac retinendi libros in indice amandatos obtinuit, ut aptiori modo philosophicis theologicisque disquisitionibus attenderet.

Italicam post illam, quae dicitur, «unitatem», dirae eversionis legibus promulgatis, Pater Iacobus in Ventimiliense coenobium se recipere debuit et, cum etiam haec domus clauderetur, spiritu oboedientiae munus oeconomi in Burdigariensi paroecia Sanctae Mariae Magdalenae suscepit. Cum septem annos indefesse ac multifarie suo in officio navavisset, Ventimiliensis

Episcopus, de Provincialis Ministri assensu, Servum Dei eiusdem paroeciae Praepositum nominavit, qui die autem 3 mensis Octobris anno 1869 huius ecclesiae iuxta legem canonicam usurpavit.

Pater Iacobus, quamquam corde suo coenobii intra moenia redire desiderabat, hoc inter annos 1878 et 1881 tantum ex parte potuit, cum eius Superiores eum Burdigariae manere ut attenderet curis pastoralibus fidelium ei commissorum maluissent. Servus Dei, divinae voluntati omnino congruens, extra claustrum uti verus Frater Minor admodum vixit et fere quinquaginta annos parochi munere excellenter functus est, imbutus spiritu profundae orationis, suavi prudentia dubitantibus consilium praebens, strenueque Ecclesiae et pauperum iura adservans, invictam fortitudinem in adversis ac benignam abnegationem in sui ipsius sacrificio ostendens.

Firmissima excitatus fide in Deum, Patrem bonum ac providentem, omni sua in actione maiorem Summi Boni gloriam quaesivit. Ecclesiam Sanctae Mariae Magdalenae refecit et pecuniam collegit, ut Burdigariae coenobium Beatae Mariae Virginis Immaculatae, postea nomine Terrae Sanctae nuncupatum, aedificaretur, catholicis societatibus laicalibus favit, sacramenta benigne ministravit, singulari navitate in praedicationem incubuit, multas conversiones proinde assequens. Ante pravas opiniones socialismi Ecclesiae hostiles et infestissimas egit sicut Bonus Pastor, qui lupis occurrit, ut gregem suum servet, magna fortitudine iura Christi et Ecclesiae vindicans. Contra tantam fortitudinem calumnias aequo animo tulit, quae eum afflixerunt et eius innocentia collustratae sunt. Virtutem prudentiae eximiam ostendit, cum novam operam inchoaret, iudicium ac ductum Superiorum adhibens atque instituens proborum virorum collegium, quod ante consilium suscipiendum rogabat. Sibi austeritate vixit suaque desideria temperavit ut Domino placitus esset et de proximorum necessitatibus sollicitus. Quod ei donatum esset statim pauperibus dispensabat. Ieiunia accurate servabat, paupertatem diligebat, vix necessariis contentus eo ut ligneis tabulis paucis horis dormiret.

Crucifixi Christi ardenti amore captus, per orationem vultum eius in miserrimorum derelictorum plagis agnovit. Pauperum et egentium senum necessitatum curam maxime suscepit pro quibus Domum Providentiae instituit ac deinde mense Ianuario anni 1912 Hospitium Sancti Iosephi fundavit. Cor ad aeterna semper convertit, hilaris fuit in spe, afflictis operam prestitit, ut Deo confiderent. More veri filii Seraphici Patriarchae, Beatam Virginem Mariam inenarrabili amore coluit, eiusdem Cordis Immaculati devotionem valde diffudit, pro peccatorum correctione atque conversione.

Extremis suae vitae annis multas valetudinis infirmitates cognovit. Die tandem 16 mensis Aprilis anno 1912 Pater Iacobus pie in Domini amplexu sempiterno consopitus est somno. Post sollemnes exequias tribus diebus post obitum, municipali Burdigarensi in coemeterio tumulatus est. Die 1 mensis Iulii anno 1925 exuviae eius in ecclesiam Sanctae Mariae Magdalenae translatae sunt.

Ob famam sanctitatis, qua Servus Dei vita et morte gavisus est, Processus Ordinarius apud Curiam Ventimiliensem a die 11 mensis Februarii anno 1937 ad diem 6 mensis Novembris anno 1936 celebratus est, cui a die 26 mensis Iunii anno 1962 ad diem 14 mensis Februarii anno 1966 Inquisitio dioecesana Suppletiva accessit: quorum omnium iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum Decreto, diei 7 mensis Novembris 1997 est approbata. Exarata *Positione*, disceptatum est secundum normas an Servus Dei virtutes heroum in modum excoluisset. Positivo cum exitu, die 17 mensis Martii anno 2015 Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione diei 21 mensis Iunii anno 2016, me Angelo Cardinale Amato praesidente, se congregaverunt et agnoverunt Servum Dei virtutes theologales, cardinales et adnexas heroum in modum excoluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Iacobi Viale, Sacerdotis Professi Ordinis Fratrum Minorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 8 mensis Iulii a.D. 2016.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

FABRIANENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Constantiae Panas (in saeculo: Agnetis Pacificae) Monialis Clarissarum Capuccinarum e Monasterio Urbis Fabriani (1896-1963)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio» (*Ct* 8, 6).

Crescens ad Christum praedispositio, signum eius itineris spiritualis quod eam ostendit magis magisque intentam in vehementissimam derelictionem in Dei amorem et eodem tempore in fortem sui ipsius oblivionem ut ad proximos omnino se verteret, vitam et ingenium Servae Dei Mariae Constantiae Panas feliciter notat et illustrat.

Serva Dei (in saeculo: Agnes Pacifica) die 5 mensis Ianuarii anno 1896 prope pagum v. d. *Alano di Piave*, Bellunensi in provincia, ex familia textrinorum parvorum dominorum nata est. Parentes ob industrialem conversionem, quae eorum operam artificum infirmavit, anno 1902 in Foederatas Civitates Americae Septentrionalis emigrare debuerunt; quam ob rem Agnetem ad propinquum sacerdotem Dominum Angelum, cappellanum Asiagensem et deinde archipresbyterum Enegensem, usque ad reditum suorum anno 1910 commiserunt.

Ab illo disciplina instituta, Serva Dei ludum litterarum apud Sorores Canossianas Feltriae et Vicetiae adivit, postea ad collegium Sancti Aloisii Venetiis ingressa est, deinde institutum publicum «Nicolò Tommaseo» frequentavit ubi anno 1913 publicam docendi facultatem est adepta. Illo in ambitu spiritum liberalem et laicum necnon sui temporis litteras cognovit; qua re aliquantum animo suo perturbata est, etsi vitae rationem et mores semper servavit quamvis illecebris blanditiis iuvenili aetate indulserit.

Statim prope fractionem v. *Conetta*, in regione Venetiarum, docere incepit. Hic ob suum prosperum exitum valde aestimata et laudata est. Illis in adiunctis Dominum Aloisium Fritz cognovit, qui eam in tota vita spirituali moderatoris munere comitatus est; animi commutationis iter suscepit, cuius causa ipsa praecedentes lectiones sibi vetabatur ut omnino ad ferventem orationem intenderet. Eodem tempore commentarios diurnos conscribere inchoavit, in quibus eius spiritualis progressio enarrabatur. Serva Dei per-

venit ad propositum *voti calami* quo decrevit nihil aliud scribere nisi pro Iesu et de Iesu. Eius opera litterarum fere immensam molem produxit, in qua non semper Scripturarum loci palam referebantur sed spiritus ac mens ipsarum Scripturarum, eius in sermone, propter intimam ac profundam Dei cum verbo familiaritatem, profundebantur.

Iter fuit conversionis laborque magnae mutationis in spiritus vita qui eam interdum perduxit ad profundam animi aegritudinem cum sensatione a Deo derelictionis. Tanta precatio et nocturna adoratio necnon commentatio ingeneraverunt in ea beatitudinem ut se ipsam Deo omnino donaret.

Serva Dei postquam fortem ac longam resistentiam ex parte familiae, die 11 mensis Octobris anno 1917 Fabrianense monasterium est ingressa. Affectum ac benevolentiam erga parentes semper retinuit. Tantummodo multos post annos Fabriani cum matre sua et propinquo sacerdote ad colloquium convenit.

Exordia monasterii vitae expedita non evaserunt, sed ipsa summo animi consilio omnia impedimenta vicit et se novo ambitui eo accomodavit, ut multae consorores sua intima praecordia panderent; disciplinam eius et vitam exploraverunt et cohaerentem et humanam invenerunt. Die 18 mensis Aprilis anno 1918 Agnes Panas evenit soror Maria Constantia, vestimentum Clarissarum Capuccinarum induens. Expleto novitiatus anno, die 8 mensis Maii anno 1919 primam professionem emisit eodemque tempore sua quinque proposita edidit, scilicet humilitatis quae nobis nihil esse meminit, spiritus fidei, devotionis erga Virginem Mariam, auxilii animarum et denique convenientiae Dei cum voluntate. Postea inter annum 1925 et annum 1933 et tria sua vota addidit, scilicet sui ipsius absolutae derelictionis in Deum, oblationis vitae pro animis et perfectae rei tantum adimplendae.

In exercitio muneris secretariae abbatissae, semper prompta fuit ad omnes necessitates, qua re, summa sollicitudine et aequalitate, omnibus succurrebat.

Die 19 mensis Maii anno 1927, tricesimum primum annum agens, electa est magistra novitiarum et die 22 mensis Iunii anno 1936 mater abbatissa, quo munere sedecim per annos sine nulla intermissione functa est. Eius gubernio perdurante et eximia spirituali praestantia consideratis, illius aetatis Ferrariensis archiepiscopus petiit ut Serva Dei localis monasterii Clarissarum Capuccinarum reformationem explicaret. Qua re, Mater Maria

Constantia Ferrariae a mense Aprili ad mensem Novembrem anno 1942 commorata est.

Cum ad Fabrianum rediit, monasterii regimen resumpsit et incepta feliciter perrexit et auxit. Hospitalitate omnium eminuit qui ad ostium monasterii pulsabant, sacerdotes praeter ceteros diligens, quorum quidam spirituales filii eius evenerunt, opera autem apostolatus extra monasterium per densissima commercia epistularum explebat.

Recipiebat omnes sine festinatione et aptam moram cuique interponebat, summo studio et delectatione audiebat, unumquemque consilio iuvabat et unicuique serenitatem restituebat. Suis in epistulis ad difficiliores condiciones humanae existentiae detegendas et intelligendas, maxime tempore ariditatis vel obscuritatis, instituebat, illo acumine et fidentia excellens in semita purae fidei ambulans. Ad illam accedentibus Serva Dei tradebat quomodo serenitatem et pacem propriis viribus et infirmitatibus custodire possumus necnon quomodo sui ipsius comprehensionem et aliorum haurire. Summa humanitate modum ac fere rationem paedagogicam fidei constituit, circa se multos congregans pueros, novitias, filios spirituales, sacerdotes et denique consorores.

Post intervallum trium annorum, ab anno 1952 ad annum 1955, secundum canonicas normas, Serva Dei, anno 1955, rursus abbatissa electa est, quo in munere consorores eam, unanimis suffragiis, usque ad mortem iterum confirmaverunt. Postremis vitae annis, quorum tres in lecto tenebatur, ob gravem articularem morbum deformantem una cum fortibus spiritus bronchiorum angustiis, quibus postea accesserunt et phlebites et cordis perturbationes et denique nausea, electa est tamen in Consilio Foederali Clarissarum Capuccinarum mediae Italiae. Anno 1961 cum primum diem anniversarium primae suae infirmitatis et in lecto receptionis celebraret, consorores suas congregavit et ab illis postulavit ut hymnum *Te Deum* canerent gratias agentes pro privilegio, a Deo ei dato, suam crucem gerendi.

Die 28 mensis Maii anno 1963 Mater Maria Constantia in somno mortali e vita pie demigravit, sicut ipsa somniaverat et desiderabat, mortem describens veluti obdormitionem pueri in matris brachiis.

Ob famam sanctitatis, a die 10 mensis Octobris anno 1983 ad diem 16 mensis Aprilis 1988 prope Curiam ecclesiasticam Fabrianensem-Mathelicensem Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 12 mensis Novem-

bris anno 1993 est approbata. Exarata *Positione*, positivo cum exitu die 12 mensis Maii anno 2015 Consultorum Theologorum Peculiaris Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione congregati die 4 mensis Octobris anno 2016, me Angelo Cardinale Amato praesidente, agnoverunt Servam Dei virtutes theologales, cardinales et adnexas heroicum in gradum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Constantiae Panas* (*in saeculo: Agnetis Pacificae*), *Monialis Clarissarum Capuccinarum e Monasterio Urbis Fabriani, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 10 mensis Octobris a.D. 2016.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

EMERITENSIS AUGUSTANA-PACENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Aloisii Zambrano Blanco Sacerdotis Dioecesani Fundatoris Instituti Saecularis v.d. *Hogar de Nazareth* (1909-1983)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Sufficit tibi gratia mea» (*2 Cor* 12, 9).

Institutione et exemplo apostoli Pauli, Servus Dei Aloisius Zambrano Blanco semper promptus gratiae Dei operae evasit. Summo zelo sacerdotalem consecrationem vixit profundissimamque spiritualitatem cum vehementissima opera apostolatus optime coniunxit, temporis in adiunctis multarum permutationum et acerbarum contentionum.

Servus Dei die 23 mensis Decembris anno 1909, in pago v.d. *Fuente del Maestre* prope Pacem Iuliam in Hispania, ex familia religiosissima at demissa natus est. Aloisius domestico sub lare bene institutus, laetatus est duarum sororum brevi praesentia, quae enim iuvenili aetate mortuae sunt, necnon fratris maioris, qui iuvenis ad sacerdotalem vitam se tradidit. Idem vocationale propositum Servus Dei sensit, qui post primaria studia seminarium ingressus est. Hic ad suam institutionem attendit et die 24 mensis Iunii anno 1934 sacro ordine auctus est.

Cum natio sua recentiorum adiunctorum cognovit incertissimum et anceps tempus, scilicet persecutionis in Catholicam Ecclesiam, quae hispanicum bellum civile (1936-1939) praecessit et comitata est, ministerium incepit. Cotidie Servus Dei cum mentibus et propensionibus in clerum infensis contendebat, quae saepissime ad contumeliam, discriminem et denique ad vim accedebant.

Primum munus suum sacerdotale apud paroeciam pagi v.d. *Ribera del Fresno* exercuit, ubi ipse in puerorum et iuvenum institutione operam navavit simplici apostolatu gratia, cuius merito in parentum fiduciam ac familiaritatem pervenire potuit; praeterea etiam curae aegrotorum, subsidio pauperum, sacramentorum communicationi et denique praedicationi summo studio vacavit. Eius praecipua opera fuit reconciliatio inter homines et inter familias, quae illis in temporibus politicas propter causas valde dilacerabantur. Hac in actuositate secum traxit multos homines, quibuscum anno 1935 inchoavit Piam Unionem Domus Nazareth v. d. *Hogar de Nazareth*. Insequenti anno

comprehensus est et una cum seni parocho in carcerem coniectus; custodia tamen non ultra quattuordecim dies dilata est, cum milites, qui populi contrarietatem timebant, statim utrumque sacerdotem liberaverunt. Interea Domus Nazareth acta erat populo institutio magni momenti et praesidium multis pauperibus et derelictis, qui ob sociales contentiones numero valde aucti sunt.

Servi Dei liberalitas novas semper rationes ad populi necessitates explendas invenit, quapropter anno 1941 pro senibus aegrotisque inhabilibus Sedem Providentiae fundavit. Etiam post migrationem ad pagum v. d. *Almendral* ac dein ad pagum *Olivenza* eius pastoralis navitas numquam defuit. Hac in paroecia Dominus Aloisius viginti et quattuor annos mansit, quippe etiam scholas paroeciales Sancto Iosepho dicatas fundavit. Anno 1969 parochus ecclesiae Sancti Ioannis Baptistae in urbe Pace nominatus est.

Servus Dei sacerdotium suum continuum actum amoris in Dominum et oblationis pro animis reputavit. Christianas virtutes extraordinaria ratione exercuit coluitque eas humilitate animi, aequa mente, constantia, tranquillitate, laetitia, congruenter perfecteque et cotidiano miro exercitio. Summa fuit eius dilectio in Eucharistiam, quam devota celebratione Missae excolebat. Erga Dei Matrem suavissimum cultum custodivit. Vixit magno sensu spei, quia etsi industriosissimus, omnia a Deo exspectabat atque Ei confidebat. Caritas erga proximum eum impellit ad ultimos et egeniores adiuvandos atque ad aegrotos et pueros sublevandos. Quem eum laeserat dilexit, etiam cum iniuria et calumnia afficiebatur, semper secundum principium reconciliationis vivens. Evangelicis praeceptis exemplariter obtemperans, sibi tenuissimo cultu induebat, modestam domum habitabat rebusque simplicissimis utebatur, vitam denique summa castitate et austeritate degit. Temporis sui signa vigilavit omnibusque rebus in adiunctis Dei voluntatem intellegere valuit.

Pace in oppido die 14 mensis Februarii anno 1983, magna fama sanctitatis circumfusus, mortali e vita pie migravit.

Quam ob famam a die 29 mensis Decembris 1998 ad diem 15 mensis Februarii anno 2002 iuxta Curiam ecclesiasticam Emeritensem Augustanam-Pacensem Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 13 mensis Februarii anno 2004, est approbata. Exarata *Positione*, secundum consuetas normas disceptatum est an Servus Dei virtutes heroum in modum exercuisset. Po-

sitivo cum exitu, die 1 mensis Octobris anno 2015 Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione die 4 mensis Octobris anno 2016, congregati, me Angelo Cardinale Amato praesidente, Servum Dei virtutes theologales, cardinales et adnexas exercuisse agnoverunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Aloisii Zambrano Blanco, Sacerdotis Dioecesani et Fundatoris Instituti Saecularis v.d.* Hogar de Nazareth*, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 10 mensis Octobris a.D. 2016.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

FRUSINATENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Teresiae Spinelli Fundatricis Sororum Augustinarum Servarum Iesu et Mariae (1789-1850)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Fide vocatus Abraham oboedivit in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem; et exivit nesciens quo iret» (*Hebr* 11, 8).

Sententia haec ab *Epistula ad Hebraeos* deprompta Servae Dei Mariae Teresiae Spinelli humanam et spiritualem historiam bene explicat. Ea enim omnibus in rebus divinae Providentiae sese committens, fide Domini vocationem excipit et benigna sui oblatione respondit.

Serva Dei Romae die 1 mensis Octobris anno 1789 a Michaelangelo et Catharina Moretti nata est, minor ex novem filiis, quorum quinque iam prima aetate mortui erant. Pater conciarius erat. Familia satis dives erat ut Maria Teresia apud Magistras Pias Venerini institui et scholam artis acu inauratis filis pingendi frequentare posset. Legere diligebat et praecipue locos historiae sacrae, singularem sensum et propensionem ad divinas res ostendens.

Anno 1806, cum gravis ruina familiae fortunarum accidisset, Maria Teresia, vix sextum decimum annum aetatis agens, proxenetae Aloisio Ravieli nubere debuit. Maritus tamen natura violentum necnon eversorem et rerum novarum avidum cito exstitit. Serva Dei sine intermissione vexabatur, haec sua patimenta et contumelias tamen pro viri conversione Deo offerebat. Post tres menses tantum matrimonii, cum Catharina mater e domus finitimis de vexationibus, quae filia silentio patiebatur, comperisset, ad ecclesiasticas auctoritates se vertit. Urbis Vicarius intervenit et, facta debita inquisitione, coniugum separationem constituit.

Maria Teresia ad paternam domum rediit et die 4 mensis Octobris anno 1806 filiam suam Mariam Dominicam peperit. Senum parentum precaria res familiaris et pro usu filiolae impensae eam coëgerunt, ut munus nutricis iuxta divitem familiam Stampa, quae Romae et Ferentini multa praedia detinebat, susciperet. Post quandam primam hesitationem, Maria Teresia Ferentinum familiam Stampa comitata est, quo illa nobilis familia, Pontifici fidelissima, sub napoleonica occupatione voluntario exilio se recepit.

Benefica sollertia Servae Dei erga Ferentini et Urbis pauperes mirabiles fructus edidit, sicut evenit cum caecus et visum et fidem, ea intercedente, recuperavit, vel cum ipsa pauperibus vinum ex cupa largiter dispensavit, quae numquam exhauriebatur.

Anno 1816 Romam redita, filiam et senes parentes curavit. Anno 1820 autem mater eius e vita excessit. Ille fuit annus magnarum aegritudinum, sed etiam tempus quo Dominus Teresiae extraordinarium donum vocationis ad apostolatum concessit. Die 1 mensis Novembris anno 1820, cum iuxta ecclesiam Sanctae Mariae de Monticellis, profundissima in oratione defixa, instaret, animadvertit apostolos omnino se dedisse ad Evangelium praedicandum et ad opera pro proximorum bono.

Statim in diaetis suae paroeciae iuvenes litterarum ignaras et institutionis rudes collegit easque humane et christiane formavit. In profundiore animo suo percipiebat Domini voluntatem, quae eam ad ampliorem operam apostolatus sollicitabat. Licet voluerit Ferentinum redire, tamen Dei voluntatem adsequi toto corde suo maluit. Aliquos post menses, cum ad orationem ut illuminaretur attenderet, suo in animo vocem clare audivit dicentem: « Te autem non Ferentini sed Frusinone volo ».

Sane illis diebus quidam cameralis Frusinonis consiliarius ad Patres Doctrinae Christianae ecclesiae Sanctae Mariae de Monticellis accessit, magistram petens, quae in nova schola municipali iuvenes puellas in oppido Soccularia institueret. Cum hac in re Maria Teresia claram Dei voluntatem intellegeret, Frusinonem profecta est et illic in domo a municipio parata, mense Octobri anno 1821, Serva Dei una cum collaboratricibus scholam publicam pro mulieribus aperuit.

Cum autem alumnarum numerus valde augescebat, municipii auctoritates, comprobata optima institutionis opera, Servae Dei coenobium Ordinis Patrum Sancti Augustini, quod a Napoleonis regimine improbe exactum erat et olim fere corrupta condicione versabatur, concesserunt. Illic Maria Teresia multiplices operas institutionis apostolatus suscepit, scilicet scholam, educandatum, cathechismum pro pueris et adultis necnon cursus spiritualium exercitiorum, et illic autem die 23 mensis Septembris anno 1827 una cum septem sodalibus episcopi e manibus religiosam vestem accepit: hoc modo Servas Iesu et Mariae fundavit, quae post aggregationem Ordini Sancti Augustini anno 1831 nomen Sororum Augustinarum Iesu et Mariae acceperunt.

Maria Teresia Dei voluntatem omnibus rebus anteponebat et fulcrum omnium electionum suarum constituebat. Crebra iaculatoria eius erat: « Voluntas Dei mei, quam pulchra es! ». Ex frequentissimis epistulis, quae ab ea mittebantur ad spiritualem moderatorem et adhuc asservantur, facile intellegimus quomodo Servae Dei intima vita vehementissima oratione omnino sustentabatur, quae saepe ad experientias unionis animae cum Deo eam perducebat. Pro redemptione peccatorum se vocatam ad participationem Christi Passionis existimabat. Anno 1835 ipsum votum victimae emisit, postquam anno 1822 vota perfectionis et oblationis sui iam conceperat. Exercitium corporalium paenitentiarum ei fuit medium ad persequendam plenam unionem cum Christi doloribus pro bono hominum. Serva Dei singularem cultum erga Mariam Sanctissimam exercebat, Frusinone fovens festum Sanctae Matris Dei Guadalupensis necnon Augustinianas devotiones erga Sanctam Mariam a Consolatione vel Cinturatorum et erga Sanctum thaumaturgum Nicolaum de Tolentino.

Aerumnae et dolores non defuerunt, praesertim ex filia, quae insana dies suas in matris coenobio consummavit. Omnibus in adiunctis fidem suam in Dominum renovans, divinae voluntati se committens et caritatem erga proximos augescens, Maria Teresia aegritudinis temptationem vinxit.

Post vitam iuvenibus omnino consecratam et profusam ad regnum Dei constituendum, multis sacrificiis et doloribus toleratis, Maria Teresia die 22 mensis Ianuarii anno 1850 mortali e vita pie demigravit, postquam spiritualibus suis filiis testamentum relinquit: « Ecce testamento vobis committo caritatem. Hanc domum rexit caritas; cum caritas defuerit, domus ipsa deerit ».

Ob famam sanctitatis a die 17 mensis Septembris anno 1982 ad diem 27 mensis Februarii anno 1997 iuxta Curiam ecclesiasticam Frusinatensem Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 20 mensis Februarii anno 1998 est approbata. Exarata *Positione*, die 22 mensis Aprilis anno 2008 Historicorum Consultorum Congressus habitus est. Deinde disceptatum est consuetas secundum normas an Serva Dei heroum in modum virtutes excoluisset. Positivo cum exitu, die 9 mensis Iunii anno 2015 Peculiaris Theologorum Consultorum Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi die 4 mensis Octobris anno 2016, Ordinaria in Sessione congregati, me Angelo Cardinale Amato praesidente, Servam Dei virtutes theologales, cardinales et adnexas heroicum in modum exercuisse agnoverunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Teresiae Spinelli, Fundatricis Sororum Augustinarum Servarum Iesu et Mariae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 10 mensis Octobris a.D. 2016.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

TUSCULANA

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Gulielmi Massaja (in saeculo: Laurentii Antonii) ex Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis (1809-1889)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Et ego, cum venissem ad vos, fratres, veni non per sublimitatem sermonis aut sapientiae annuntians vobis mysterium Dei. Non enim iudicavi scire me aliquid inter vos nisi Iesum Christum et hunc crucifixum » (*1 Cor* 2, 1-2).

Impiger Evangelii nuntius fuit et Servus Dei Gulielmus Massaja, qui una cum summa fidelitate in Christum absolutam deditionem suam pro animarum salute coniunxit. Ille natura fortis ac obstinatus, in Crucifixo fulturam suae extraordinariae operis invenit et saepissime dixit Christi Crucem solum esse sibi insigne ornamentum, quod appetebat et quaesitabat, loco praecipuo in quo pro animis sibi commissis se offerre vellet.

Servus Dei die 8 mensis Iunii anno 1809, in pago v. d. *Piovà d'Asti*, nunc nuncupato *Piovà Massaja*, septimus octo filiorum a Ioanne Dominico, agricola, et Dominica Bertorello natus est. Eodemque die sacro fonte lustratus est et nomina Laurentii et Antonii ei indita sunt. Anno 1819 una cum familia in pagum Sancti Petri commigravit ibique die 20 mensis Augusti anno 1822 confirmatione ex manibus Antonini Faà di Bruno, Astensis Episcopi, munitus est. Eodemque anno se transtulit ad fratrem sacerdotem Dominum Gulielmum, qui Pralormi parochus erat.

Anno 1823 alumnus Astense Seminarium Minus ingressus est; tres post annos, cum vocationem religiosam ad vitam percepisset, Taurinense Fratrum Minorum Capuccinorum coenobium « Madonna di Campagna » ingressus est, ut novitiatum perficeret nomenque Gulielmi sumpsit. Die 16 mensis Iunii anno 1832 Vercellis sacro ordine auctus est. Cappellani munere ad Mauritianum Taurinense valetudinarium missus est et postea iuxta studentatum Capuccinorum philosophiae institutor nominatus. Illis annis cum futuro Italiae rege Victorio Emmanuele II et cum patriota Silvio Pellico, cuius et spiritualis moderator fuit, in consuetudinem venit. Anno 1844 Definitor Provincialis electus est, pergens tamen philosophiam Capuccinos confratres docere.

Die 26 mensis Aprilis anno 1846, Summus Pontifex Gregorius XVI eum novae missionis Vicarium Apostolicum Africae inter Populos *Galla* nomina-

vit, eundem Episcopum titularem Casiotanum in partibus infedelium fecit. Die 24 insequentis mensis Maii episcopali ordine auctus est.

Iam tum Servo Dei tempus periculorum plenum incepit. Ab Italia discessit ut ad missionem sibi commissam in Aethiopiam Septentrionalem perveniret. Postquam per flumen Nilum navigaverat et desertum percurrerat, urbem *Massaua* attigit. Illic cognovit sanctum Iustinum De Jacobis, quem die 7 mensis Ianuarii anno 1849 secreto episcopum consecravit. Post nonnullas difficultates et impedimenta, fines missionis suae tandem contingere potuit suamque sedem prope *Assandabi* oppidum statuit.

Servus Dei praeter sedulas apostolicas actiones sicut communitatum institutiones valde praestitit medicis auxiliis, quae ipse gentibus, lue, febri flava et variolo aegrotantibus suppeditavit. Cum Servus Dei operam daret vaccino puri populo inserendo contra variolam, ab omnibus *Pater Fantatà*, quod vulgo sibi vult variola, nuncupabatur.

Patris Massaja opera bene digestis in temporibus dividitur: enim ab anno 1852 ad annum 1863 inter Gallos missionibus se tradidit, anno deinde 1852 in loco *Gudrò* mansionum fundationi, anno 1854 in *Ennèrea*, anno 1855 in *Kaffa* et in *Lagàmara*, anno 1859 in *Ghera*. Post reditum in Europam, ab anno 1868 ad annum 1879 missionem in loco *Scioa* fundavit, deinde anno 1868 multas domus missionarias in *Fekerié-Ghemb* et *Finfinni*, qui anno 1889 nomine *Addis Abeba* caput totius Aethiopiae evenit.

Intrepidus missionarius capuccinus, vir geniali fide, sollerti caritate, novas rationes ad Evangelium nuntiandum invenire debuit, novos sermones ad doctrinam christianam edocendam, nova media ad humanam dignitatem et hominum salutem promovendam, eorum tamen usus et consuetudines considerans; validus pauperum fuit defensor, novae monasticae disciplinae conditor, iuvenum educator, exemplum pro ecclesiasticis. Vivissima spe fultus, omnia temporis momenta vitae continua oratione et indefessa navitate ad Crucem Christi exaltandam significabantur.

Die 3 mensis Octobris anno 1879, bello inter Aethiopicum imperatorem Ioannem IV et regem Menelik II confecto, cum hic postremus bellum perderet, Servus Dei in perpetuum ab Abessinia expulsus est. Post longum et tortuosum iter Romam pervenit vitamque suam prope Tusculanam Capuccinorum communitatem degit. Die 10 mensis Novembris anno 1884 in sollemni consistorio cardinalis creatus est. Insequenti anno primum volu-

men monumentalis suae operae v.d. *I miei trentacinque anni di missione nell'Alta Etiopia* edidit.

Die 6 mensis Augusti anno 1889, cum ad quietem in Fano Sancti Georgii ad Cremanum prope Neapolim se dirigeret, Servus Dei cordis crise mortuus est.

Fama sanctitatis, quae Servum Dei iam postremis vitae annis circumdabat, post mortem valde increbuit. Decursu annorum fama eo viguit ut prope quattuor sedes Processus Informativi celebrarentur, hoc modo: Tusculana in Dioecesi a die 3 mensis Martii anno 1914 ad diem 26 mensis Maii anno 1916 Processus Ordinarius; a die 1 mensis Aprilis anno 1914 ad diem 17 mensis Decembris anno 1915 Neapolitana in Archidioecesi Processus Ordinarius; a die 9 mensis Decembris anno 1914 ad diem 25 mensis Novembris anno 1915 Astensi in dioecesi Processus Rogatorialis et denique a die 29 mensis Ianuarii anno 1915 ad diem 30 mensis Ianuarii anno 1916 Taurinensi in Archidioecesi Processus Rogatorialis. Etiam prope Aethiopicum oppidum *Harar* a die 12 mensis Aprilis ad diem 29 mensis Iulii anno 1912 varia testimonia de visu collecta sunt. Tamen multae condiciones, sicut utrumque bellum totius orbis terrarum, processum longe retinuerunt. Deinde, a die 7 mensis Martii anno 2003 ad diem 10 mensis Martii anno 2004, Tusculana in Dioecesi Inquisitio Suppletiva instructa est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 15 mensis Octobris anno 2004 est approbata. Exarata *Positione*, die 21 mensis Octobris anno 2014 locum habuit Coetus Consultorum Historicorum. Postea disceptatum est, consuetas secundum normas, an Servus Dei heroum in modum virtutes excoluisset. Positivo cum exitu, die 14 mensis Aprilis anno 2016 Peculiaris Theologorum Consultorum Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi, die 15 mensis Novembris anno 2016, Ordinaria in Sessione congregati, me Angelo Cardinale Amato praesidente, Servum Dei virtutes theologales, cardinales et adnexas heroicum in modum exercuisse agnoverunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Gulielmi Massaja* (*in saeculo: Laurentii Antonii*), *Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis, ex Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 1 mensis Decembris a.D. 2016.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

MATRITENSIS

Canonizationis Beati Faustini Míguez Sacerdotis professi Ordinis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Fundatoris Congregationis Sororum Calasanctiarum Filiarum a Divina Pastora (1831-1925)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beatus Faustinus Míguez in pago v.d. *Xamiras* Auriensi in provincia Hispaniae, die 24 mensis Martii anno 1831, natus est. Quartus natu e familia christianis principiis omnino radicata, humane ac religiose apte institutus est. Iam a pueritia natura fuit gravitate, prudentia, constantia ac rerum naturae amore denotatus. Studia sua apud scholam instituti Nostrae Dominae a Miraculis perfecit primaque iam ab adulescentia vocationem ad sacerdotium percepit. Anno 1850 Matritensem Scholarum Piarum Sancti Ferdinandi novitiatum ingressus est. Postea munus ei commissum est ut multis in collegiis praeter varias disciplinas res naturales edoceret. Per fere quinquaginta annos docuit et pueris iuvenibusque magna humanitate, observantia et benevolentia erga omnes omnino se tradidit. Nonnullos libros conscripsit et sacerdotali suo in ministerio Reconciliationis in sacramento suum praecipuum apostolatus mandatum invenit multorumque fidelium spiritualis factus est moderator. Scientiae suae fama municipii ab auctoritatibus pagi v.d. *Sanlucar* ei mandatum est ut quoad salubritatem aquarum analysim faceret multique ad eundem verterunt ut herbarum virtutibus sanarentur. Anno 1885 ut puellis, quae antea exclusae erant, institutionem suppeditaret Institutum Sororum Calasanctiarum Filiarum a Divina Pastora fundavit. Ecclesiae hominumque societati sereno ac perseveranti officio indulsit. Cum nonagesimum quartum aetatis suae annum ageret Tituaciae die 8 mensis Martii anno 1925 e vita excessit. Summus Pontifex Ioannes Paulus II Beatorum in numerum anno 1998 eum adscripsit.

Canonizationis respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum miram quandam cuiusdam mulieris sanationem, quae in Chilia evenerat, subiecit. Mulier in tricesima septima gestationis hebdomada, vehementissimis abdominis doloribus una cum aliis gravibus laboribus cruciata, statim in valetudinario recepta est. Cum sectionem Caesaream medici adhiberent, statim eius in os inseruerunt tubum ad respirationem artificiose suppeditandam et ingens medicamentorum therapia subministra-

ta est. Eius valetudo tamen nullo modo in melius mutari videbatur, immo vero mulier propter haemorragiam, quae comprimi non potuerat, gravius aegrotavit. Tam in peius versa est ut ne stimulos quidem perciperet. Etiam subsequentes chirurgicae sectiones plane invalidae evaserunt. Exspectationes quoad vitam omnino vanae videbantur.

Hac in ancipiti re quaedam soror Instituti a Beato Faustino fundati, re infirmae a familia comperta, consorores una cum iuvenibus collegii, quod ab iisdem regebatur, secum traxit in communem orationis actionem ad Fundatorem ut intercessionem impetraret ad sanationem aegrotae. Reliquia cubili eius appropinquata est. Repente quarta die a receptione in valetudinario haemorragia constitit aegrota chirurgicam sectionem rursus subire potuit. Iam hinc intra tres menses perfecte sanata est ut etiam sequentibus clinicis in inquisitionibus confirmatum est.

Evidens est concursus temporis et consequentia inter Beati invocationem et mulieris sanationem, quae deinceps naturali socialique vita pollens, sana fuit.

De hac sanatione mira aestimata iuxta Curiam ecclesiasticam Sancti Iacobi in Chile a die 17 mensis Iulii anno 2008 ad diem 17 mensis Aprilis anno 2009 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 31 mensis Maii anno 2010 est approbata. Medicorum Consilium huius Dicasteri in Sessione diei 10 mensis Decembris anno 2015 declaravit sanationem celerem, perfectam, constantem et ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse. Die 29 mensis Septembris anno 2016 Congressus actus est Peculiaris Theologorum Consultorum, positivo cum exitu. Die 6 mensis Decembris anno 2016 Patres Cardinales et Episcopi se congregaverunt, me Cardinale Angelo Amato praesidente. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Beati Faustini Míguez, Sacerdotis professi Ordinis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum et Fundatoris Congregationis Sororum Calasanctiarum Filiarum a Divina Pastora, videlicet de celeri, perfecta ac*

constanti sanatione cuiusdam mulieris a «preeclampsia complicata da Hellp Sindrome, coagulopatia disseminata. Rottura spontanea ed ematoma intraparenchimale epatico con grave emorragia intra-addominale. Shock ipovolemico e sindrome compartimentale con IRA».

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris a.D. 2016.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

VERONENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Leopoldinae Naudet Fundatricis Congregationis Sororum a Sacra Familia (1773-1834)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Leopoldina Naudet die 31 mensis Maii anno 1773 Florentiae e germanica matre et francogallico patre, Magni Ducis Tusciae aulico amplo officiali, nata est. Cum tertium annum aetatis suae agebat, matre orbata est et una cum sorore Aloisia apud monasterium Sancti Frediani v.d. *di Cestello* instituta est. Anno 1783 utraque ad Galliam profecta est ut studia perficeret et institutionem suam apud Collegium Sororum Nostrae Dominae de Augusta Suessionum expleret. Aliquos post annos Florentiam utraque soror rediit et filiorum Magni Ducis Leopoldi I facta est educatrix. Cum autem Dux ad imperialem dignitatem evectus est, utraque soror Vindobonam eum comitata est ut ad munus institutricis attenderet. Anno 1792, Imperatore mortuo, utraque ministerium suum ipsi filiae Imperatoris, scilicet Magnae Ducissae Mariae Annae Ferdinandae fecit, quae Pragae abbatissa Canonissarum Sancti Georgii erat: qua re, eamdem ad novam Bohemoslovenicam regalem domum comitata est. Illa temporis et loci adiuncta valde religiosa in duabus mulieribus perfectioris et absolutae consecrationis ad Dominum desiderium excitaverunt. Hac re, Leopoldina una cum sorore proposito novae mulierum fundationis sine mora assensa est, in quo etiam Magna Ducissa interfuit. Tres mulieres die 31 mensis Maii anno 1799 vota ediderunt et Vindobonam redierunt et illic ad Italiam contenderunt. Anno 1800 ad Summum Pontificem Pium VII accesserunt, qui earum animum confirmavit et eas ut illud nobile opus pergerent cohortatus est; post haec, Italiae varias urbes peragraverunt et tandem Romam pervenerunt. Anno 1805 in regionem Venetorum se contulerunt ibique Sanctam Magdalenam e Canossa et Sanctum Gasparem Bertoni cognoverunt. Anno 1816 Serva Dei una cum sodalibus suis Veronae sedem et domicilium apud Sanctae Teresiae quondam coenobium constituerunt Congregationemque Sororum a Sacra Familia primitus fundaverunt, quam, etsi claustrali rigore consecratae, ad apostolatum puellarum instituendarum contulerunt. Fundatrix die 17 mensis Augusti anno 1834 mortali e vita demigravit. Summus Pontifex Benedictus XVI anno 2007 virtutes heroicas eius agnovit.

Beatificationis respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum miram quandam cuiusdam pueri sanationem, quae, anno 1997, in Italia evenerat, subiecit. Puer enim, vix septem mensibus postquam ortus erat, die 6 mensis Martii eiusdem anni evomendo ac graviter febricitando aegrotare incepit. Haec omnia a medico pro influentia interpretata ac simili ratione curata sunt. Cum pueri valetudo in peius verteret, in valetudinarium in gravi discrimine ac cum meningitis notis receptus est, quia nimius pallor, haud sufficiens hydratatio, pupillarum contractio aliaque signa palam ostendebantur. Clinica therapia ad hoc adhibita est. Tamen valetudinis condicio in melius haud mutabatur, immo pueri status in peius magis magisque elabi videbatur: addebantur enim color viridis, vomitiones, tussis et denique spirandi difficultates.

Generalis Antistita Sororum a Sacra Familia, pueri aegroti amita, una cum aliis sodalibus, quae pueri familiam agnoscebant, novendialem supplicationem Venerabili Fundatrici peragere inceperunt ut parvuli sanationis donum impetraretur. His orantibus etiam fideles eiusdem paroeciae familiae pueri in deprecatione se coniunxerunt. Cum primum haec communis oratio evecta est, statim parvuli aegroti valetudo in melius mutavit, eo ut die 17 mensis Martii fere omnes morbi notae ac manifestationes, quae puerum aegritudine affecerant, evanuerent ac die tandem 22 mensis Martii domum redire posset. Subsequentes clinicae inquisitiones sanationem confirmaverunt.

Evidens est concursus temporis et consequentia inter Venerabilis Servae Dei invocationem et pueri sanationem, quae deinceps naturali socialique vita pollens, sanus fuit.

De hac sanatione mira aestimata apud Curiam ecclesiasticam Veronensem a die 30 mensis Decembris anno 2005 ad diem 7 mensis Martii anno 2006 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 12 mensis Maii anno 2006 est approbata. Medicorum Consilium Dicasterii in sessione diei 16 mensis Iunii anno 2016 declaravit sanationem celerem, perfectam, constantem et ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse. Die 29 mensis Septembris anno 2016 Congressus auctus est Peculiaris Theologorum Consultorum, positivo cum exitu. Die 6 mensis Decembris anno 2016 Ordinaria in Sessione Patres Cardinales et Episcopi se congregaverunt, me Cardinale Angelo Amato praesidente. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servae Dei Leopoldinae Naudet, Fundatricis Congregationis Sororum a Sacra Familia, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione cuiusdam pueri a «meningite acuta ac purulenta ob Haemophilum parainfluentiae».*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris a.D. 2016.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

BARCINONENSIS ET ALIARUM

Beatificationis seu Declarationis Martyrii Servorum Dei Matthaei Casals, Theophili Casajús, Ferdinandi Saperas et CVI Sociorum e Congregatione Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis († 1936-1937)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Hi sunt qui veniunt de tribulatione magna et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni» (*Apc* 7, 14).

Hoc in insula Patmos auditum nuntium per saecula in christianarum communitatum historia rediit, et eo magis in casu CIX Servorum Dei e Congregatione Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis, vulgo *Claretianorum*, qui, tantum cum christiani ac religiosi essent, trucidati sunt.

Prima in parte saeculi vicesimi Hispania valde movebatur politica christianis inimicissima, quae autem cultum publicum omnino coërcuit et discriminantes per leges ac per dispositiones infestissimas absolutam in Hispania Ecclesiae eversionem aperte voluit et persecuta est. Haud infrequentes fuerunt incendia in coenobiis vel ecclesiae sacraeque imagines destructae sunt, evenerunt etiam fictae simulataeque accusationes, calumniae necnon sacerdotum, consecratorum et denique laicorum caedes. Innumerae fuerunt illius seditiosi terroris victimae, in iis fuerunt etiam isti CIX Servi Dei. Iam tertio decennio saeculi signa augescentis odii in Ecclesiam percipiebantur, tamen maxime ab anno 1936 ad effectum perductum est propositum ad artem compositum ut sacerdotes religiosique per facinora ratione ac via apparata penitus restinguerentur, hoc autem saepe post tormenta in corpore ac in spiritu.

Servi Dei variis e communitatibus proveniebant: Barcinone, *Sabadell*, Ausona, Illerda, *Cervera*, Valentia et denique Portu Sancti Andreae.

Istius gloriosae turbae socii sunt Servi Dei Matthaeus Casals, Theophilus Casajús et Ferdinandus Saperas, qui secundum ordinem erant superior in civitate *Sabadell*, studens in pago *Cervera* et denique frater professus in eademque communitate.

1. *Matthaeus Casals Mas*, die 10 mensis Septembris anno 1883 in pago v.d. *Bagá* iuxta Barcinonem natus est, die 15 mensis Augusti anno 1903 reli-

giosam professionem emisit, die 13 mensis Iunii anno 1911 sacro ordine auctus est. Die 5 mensis Septembris anno 1936 ad Sanctum Cyriacum de Serra, prope Barcinonem, focili interfectus est.

2. *Theophilus Casajús Alduán*, die 3 mensis Novembris anno 1914 in pago v.d. *Murchante* in Navarra natus est, die 15 mensis Augusti anno 1931 temporariam professionem emisit. Die 26 mensis Iulii anno 1936 Ilerdae necatus est.

3. *Ferdinandus Saperas Aluja*, die 8 mensis Septembris anno 1905 in pago v.d. *Alió* iuxta Tarraconem natus est, die 15 mensis Augusti anno 1930 religiosam professionem fratris coadiutoris emisit. Die 13 mensis Augusti in oppido v.d. *Tárrega* interfectus est.

Quamquam diversae fuerunt vitae Servorum Dei omnes tamen consociatae sunt ab eadem conscientia quia omnes bene sciebant se destinaturos esse ad martyrium suumque etiam sanguinem Christo offerre, postquam vitam suam in baptismali, religiosa et sacerdotali consecratione obtulerant, cupiebant.

Servi Dei, cum christiani et religiosi essent, deprehensi et armis necati sunt. Temporum locorumque condiciones, ratio se gerendi, et carnificum proposita ad hanc explanationem clare inducunt.

Secundum rationem loci pertinentiae Servi Dei septem in coetibus dividuntur, scilicet:

BARCINONE:

1. *Ioannes Capdevila Costa*, natus in loco *Sovelles* prope Gerundam die 30 mensis Novembris anno 1883, religiosam professionem emisit ut frater coadiutor die 16 mensis Iulii anno 1901. Necatus est Barcinone die 25 mensis Iulii anno 1936.

2. *Gumersindus Valtierra Alonso*, natus in vico *San Martín de Humada* prope Burgum de Oca die 13 mensis Ianuarii anno 1876, in Congregationem ingressus est anno 1890. Primam professionem emisit die 15 mensis Augusti anno 1894 et die 19 mensis Septembris anno 1908 presbyteratu auctus est. Necatus est Barcinone die 26 mensis Iulii anno 1936.

3. *Candidus Casals Sunyer*, natus die 22 mensis Augusti anno 1897 in loco *La Nou de Berguedá* prope Barcinonem, in Congregationem ingressus

est anno 1907, primam professionem emittens die 8 mensis Septembris anno 1913. Ordinatus presbyter die 29 mensis Maii anno 1920, necatus est Barcinone die 29 mensis Iulii anno 1936.

4. *Adolfus de Esteban Rada*, natus die 28 mensis Septembris anno 1912 in loco *Berbinzana*, Navarrensi in regione, professionem religiosam emisit die 1 mensis Septembris anno 1928. Dum se parabat ad sacros ordines recipiendos, necatus est Barcinone die 31 mensis Iulii anno 1936.

5. *Antonius Junyent Estruch*, natus die 25 mensis Octobris anno 1896 in loco *Vacarisas* prope Barcinonem, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1913 et presbyteratu auctus est die 12 mensis Martii anno 1921. Necatus est Barcinone die 19 mensis Augusti anno 1936.

6. *Hyacinthus Blanch Ferrer*, natus die 27 mensis Aprilis anno 1868 in vico *Vilanova de Sau* prope Barcinonem, professionem religiosam emisit die 18 mensis Septembris anno 1885 et presbyteratu auctus est die 12 mensis Martii anno 1892. Necatus est Barcinone die 21 agosto 1936.

7. *Thomas Maria Planas Aguilera*, natus die 17 mensis Aprilis anno 1909 Barcinone, religiosam professione emisit die 15 mensis Augusti anno 1926 et presbyteratu auctus est die 26 mensis Maii anno 1934. Necatus est in civitate *Sabadell* die 27 mensis Augusti anno 1936.

8. *Cyrillus Montaner Fabré*, natus die 16 mensis Februarii anno 1873 in loco *Vilanova y La Geltrú* prope Barcinonem, religiosam professionem emisit die 7 mensis Maii anno 1897 et presbyteratu auctus est die 29 mensis Iunii anno 1902. Die 28 mensis Novembris anno 1936 necatus est in loco *Montcada,* apud Barcinonem.

In civitate *Sabadell*:

9. *Iosephus Reixach Reguer*, natus die 13 mensis Iunii anno 1865 in loco *Santa María de Vilanova de Sau* prope Barcinonem, professionem religiosam emisit die 10 mensis Novembris anno 1881 et presbyteratu auctus est die 6 mensis Aprilis anno 1889. Necatus est die 25 mensis Iulii anno 1936 in civitate *Sabadell*.

10. *Iosephus Puig Bret*, natus die 28 mensis Aprilis anno 1860 in vico *Cistella* prope Gerundam, professionem perpetuam emisit die 6 mensis Ianuarii anno 1880 et presbyteratu auctus est die 24 mensis Septembris anno 1883. Necatus est die 5 mensis Septembris anno 1936 Egarae.

11. *Iosephus Clavería Mas*, natus die 29 mensis Augusti anno 1875 in Vico Ausunensi. Professionem religiosam emisit ut frater coadiutor die 3 mensis Novembris anno 1901. Necatus est die 5 mensis Septembris anno 1936 Egarae.

12. *Ioannes Rafí Figuerola*, natus die 30 mensis Octobris anno 1875 in pago *Vilabella* prope Tarraconem, in Congregationem ingressus est anno 1890 ut frater coadiutor. Professionem religiosam emisit anno 1891. Necatus est die 5 mensis Septembris anno 1936 Egarae.

13. *Iosephus Solé Maimó*, natus die 21 mensis Augusti anno 1890 in pago *La Guardia Lada* prope Ilerdam, professionem religiosam emisit ut frater coadiutor anno 1917. Necatus est die 5 mensis Septembris anno 1936 Egarae.

14. *Iosephus Cardona Dalmases*, natus die 31 mensis Martii anno 1916 in loco *Prades* prope Ilerdam, professionem religiosam emisit ut frater coadiutor die 15 mensis Augusti anno 1932. Necatus est die 5 mensis Septembris anno 1936 in civitate *Sabadell*.

15. *Ioannes Baptista Torrents Figueras*, natus die 8 mensis Decembris anno 1873 in pago *La Secuita* prope Tarraconem, in Congregationem ingressus est anno 1885. Primam professionem emisit die 8 mensis Decembris anno 1889 et presbyteratu auctus est die 3 mensis Aprilis anno 1897, dispensatione a canonica aetate recepta. Mortuus est die 17 mensis Martii anno 1937 in loco *Montcada*.

In Vico Ausunensi:

16. *Ioannes Mercer Soler*, natus die 14 mensis Octobris anno 1874 in vico *Albiñana* prope Tarraconem. Professionem religiosam emisit die 15 mensis Septembris anno 1895 et presbyteratu auctus est die 19 mensis Decembris anno 1903. Necatus est in loco *Sallent* die 25 mensis Iulii anno 1936.

17. *Marcellinus Mur Blanch*, natus die 1 mensis Aprilis anno 1882 in Gallico pago *Raguet Riguepeu* prope oppidum *Gres*, professionem religiosam

emisit ut frater coadiutor die 21 mensis Iunii anno 1909. Necatus est in loco *Sallent* die 25 mensis Iulii anno 1936.

18. *Iacobus Payás Fargas*, natus die 14 mensis Augusti anno 1907 in vico *Castellterçol* prope Barcinonem, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1924. Presbyteratu auctus est die 20 mensis Iunii anno 1931. Necatus est in loco *Sallent* die 25 mensis Iulii anno 1936.

19. *Marianus Binefa Alsinella*, natus die 27 mensis Septembris anno 1906 in urbe *Villa Ieridana de Anglesola* prope Ilerdam, professionem religiosam emisit ut frater coadiutor die 11 mensis Iunii anno 1933. Necatus est in loco *Sallent* die 25 mensis Iulii anno 1936.

20. *Iosephus Arner Margalef*, natus die 3 mensis Septembris anno 1892 in vico *Alcolea de Cinca* prope Oscam, professionem religiosam die 8 mensis Septembris anno 1908 emisit. Presbyteratu auctus est die 17 mensis Iunii anno 1916. Mortuus est die 8 mensis Augusti anno 1936 in loco *San Sadurni d'Osormort* apud Barcinonem.

21. *Castus Navarro Martínez*, natus die 1 mensis Iunii anno 1905 in loco *Guadaliaviar* prope Terulium, die 10 mensis Iunii anno 1928 presbyteratu auctus est. Anno 1935 Congregationem ingressus est et professionem religiosam emisit die 11 mensis Iunii anno 1936. Necatus est die 8 mensis Augusti anno 1936 in loco *San Sadurni d'Osormort*.

22. *Iulius Aramendía Urquía*, natus die 5 mensis Decembris anno 1900 in pago *Obanos*, in regione Navarrensi, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1917 et presbyteratu auctus die 19 mensis Septembris anno 1925. Necatus est die 17 mensis Augusti anno 1936 in Vico Ausunensi.

23. *Iosephus Puigdessens Pujol*, natus die 14 mensis Ianuarii anno 1875 in Vico Ausunensi, professionem emisit die 20 mensis Augusti anno 1893 et presbyteratu auctus est die 29 mensis Septembris anno 1901. Necatus est die 17 mensis Augusti anno 1936 in Vico Ausunensi.

24. *Ioannes Blanch Badía*, natus die 1 mensis Martii anno 1873 in loco *Puigpelat*, prope Tarraconam, presbyteratu auctus est die 12 mensis Iunii anno 1897. Congregationem ingressus est anno 1901 et professionem religiosam emisit die 27 mensis Iulii anno 1902. Necatus est die 31 mensis Augusti anno 1936 in loco *Sant Pere dels Arquells*.

25. *Iosephus Capdevila Portet*, natus die 2 mensis Augusti anno 1890 in Vico Ausunensi, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1906 et presbyteratu auctus die 26 mensis Augusti anno 1914. Necatus est die 25 mensis Septembris anno 1936 in loco *Manlleu*.

26. *Iosephus Casals Badía*, natus die 8 mensis Februarii anno 1891 in loco *Berga* prope Barcinonem, professionem religiosam emisit ut frater laicus die 2 mensis Februarii anno 1911. Necatus est die 12 mensis Octobris anno 1936 in loco *Gurb*.

27. *Michaël Codina Ventayol*, natus die 8 mensis Novembris anno 1909 in pago *Villa de Artés* prope Barcinonem, anno 1924 Congregationem ingressus est et professionem emisit die 31 mensis Augusti anno 1926. Presbyteratu auctus est die 26 mensis Maii anno 1934. Necatus est die 12 mensis Octobris anno 1936 in vico *Malla* apud Barcinonem.

28. *Ioannes Codinach Espinalt*, natus die 28 mensis Maii anno 1872 in pago *Mura* prope Barcinonem, presbyteratu auctus est die 12 mensis Iunii anno 1897; Congregationem ingressus, professionem emisit die 19 mensis Martii anno 1903. Necatus est die 12 mensis Octobris anno 1936 in vico *Malla* apud Barcinonem.

29. *Isidorus Costa Homs*, natus die 5 mensis Ianuarii anno 1909 in pago *Villa de Taradell* prope Barcinonem. Congregationem ingressus, professionem religiosam emisit die 16 mensis Maii anno 1931 ut coadiutor laicus. Necatus est in loco *Cervera* die 11 mensis Novembris anno 1936.

30. *Michaël Facerías Garcés*, natus die 22 mensis Februarii anno 1861 in loco *Perarrua* prope Oscam, Congregationem ingressus est anno 1882 et professionem emisit ut frater coadiutor die 24 mensis Martii anno 1883. Necatus est die 22 mensis Februarii anno 1937 in pago *Caseta de Alboquers* apud Barcinonem.

Ilerdae:

31. *Fridericus Codina Picassó*, natus die 7 mensis Maii anno 1888 Barcinone, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1904 et presbyteratu auctus die 23 mensis Iunii anno 1912. Necatus est Ilerdae die 21 mensis Iulii anno 1936.

32. *Emmanuel Torres Nicolau*, natus die 4 mensis Octobris anno 1874 in vico *Almacelles* prope Ilerdam, professionem religiosam emisit die 16 mensis Iulii anno 1891 et presbyteratu auctus die 13 mensis Maii anno 1899. Necatus est Ilerdae die 25 mensis Iulii anno 1936.

33. *Michaël Baixeras Berenguer*, natus die 14 mensis Februarii anno 1908 in pago *Castellterçol* prope Barcinonem, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1924 et presbyteratu auctus est die 21 Iunii anno 1931. Necatus est Ilerdae die 25 mensis Iulii anno 1936.

34. *Arturus Tamarit Piñol*, natus die 2 mensis Augusti anno 1913 in vico *Solerás* prope Ilerdam, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1929 et presbyteratu auctus die 19 mensis Aprilis anno 1936. Necatus est Ilerdae die 25 mensis Iulii anno 1936.

35. *Augustinus Lloses Trullols*, natus die 20 mensis Decembris anno 1906 in loco *Cervera* prope Ilerdam, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1924 et presbyteratu auctus die 21 mensis Iunii anno 1931. Necatus est Ilerdae die 21 mensis Augusti anno 1936.

36. *Aloisius Albí Aguilar*, natus die 1 mensis Aprilis anno 1910 Barcinone, professionem religiosam emisit die 31 mensis Augusti anno 1926 et presbyteratu auctus est die 26 mensis Maii anno 1934. Necatus est Ilerdae die 21 mensis Augusti anno 1936.

37. *Xaverius Morell Cabiscol*, natus die 20 mensis Ianuarii anno 1910 in pago *Albesa* prope Ilerdam, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1927 et presbyteratu auctus est die 19 mensis Aprilis anno 1936. Necatus est Ilerdae die 21 mensis Augusti anno 1936.

38. *Ioannes Garriga Pagés*, natus die 31 mensis Augusti anno 1908 in pago *San Martí de Sacalm* prope Gerundam, professionem religiosam emisit ut frater coadiutor die 8 mensis Decembris anno 1926. Necatus est Ilerdae die 21 mensis Augusti anno 1936.

39. *Angelus Dolcet Agustí*, natus die 5 mensis Septembris anno 1914 in vico *Soses* prope Ilerdam, die 24 mensis Septembris anno 1930 professionem religiosam emisit ut frater coadiutor. Necatus est Ilerdae die 21 mensis Augusti anno 1936.

40. *Ioannes Busquet Llucià*, natus die 13 mensis Ianuarii anno 1868 in loco *Santa Margarida de Montbui* prope Barcinonem, professionem religiosam emisit die 25 mensis Martii anno 1884 et presbyteratu auctus est die 15 mensis Augusti anno 1891. Necatus est Ilerdae die 25 mensis Augusti anno 1936.

41. *Franciscus Xaverius Surribas Dot*, natus die 7 mensis Novembris anno 1909 in loco *Sant Feliu de Torelló* prope Barcinonem, professionem religiosam emisit die 11 mensis Februarii anno 1926 et presbyteratu auctus est die 21 mensis Maii anno 1932. Necatus est Ilerdae die 26 mensis Iulii anno 1936.

In loco Cervera:

42. *Emmanuel Jové Bonet*, natus die 14 mensis Septembris anno 1895 in pago *Vallbona de les Monges* prope Ilerdam, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1912 et presbyteratu auctus est die 29 mensis Maii anno 1920. Necatus est Ilerdae die 26 mensis Iulii anno 1936.

43. *Onesimus Agorreta Zabaleta*, natus die 16 mensis Februarii anno 1916 in loco *Ujué* prope Pampelonem, Navarrensi in regione, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1932. Necatus est Ilerdae die 26 mensis Iulii anno 1936.

44. *Amatus Amalrich Rasclosa*, natus die 28 mensis Aprilis anno 1912 in loco *Sant Feliu de Celrá* prope Gerundam, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1928. Necatus est Ilerdae die 26 mensis Iulii anno 1936.

45. *Iosephus Amargant Boada*, natus die 25 mensis Septembris anno 1916 in loco *Sant Feliu de Pallarols* prope Gerundam, professionem religiosam emisit die 27 mensis Septembris anno 1932. Necatus est Ilerdae die 26 mensis Iulii anno 1936.

46. *Petrus Caball Juncá*, natus die 1 mensis Augusti anno 1913 in pago *Vilanova de la Muga* prope Gerundam, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1931. Necatus est Ilerdae die 26 mensis Iulii anno 1936.

47. *Iosephus Maria Casademont Vila*, natus die 12 mensis Martii anno 1915 in pago *Sant Feliu de Pallarols* prope Gerundam, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1931. Necatus est Ilerdae die 26 mensis Iulii anno 1936.

48. *Antonius Cerdá Cantavella*, natus die 25 mensis Septembris anno 1915 in loco *Játiva* apud Valentiam, professionem religiosam emisit die 27 mensis Septembris anno 1931. Necatus est Ilerdae die 26 mensis Iulii anno 1936.

49. *Amadeus Costa Prat*, natus die 4 mensis Ianuarii anno 1916 in vico *Tona* prope Barcinonem, professionem religiosam emisit die 15 mensis Aprilis anno 1932. Necatus est Ilerdae die 26 mensis Iulii anno 1936.

50. *Iosephus Elcano Liberal*, natus die 31 mensis Martii anno 1914 in loco *Olóriz*, Navarrensi in regione, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1931. Necatus est Ilerdae die 26 mensis Iulii anno 1936.

51. *Aloisius Hortós Tura*, natus die 8 mensis Februarii anno 1915 in pago *Argelaguer* prope Gerundam, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1931. Necatus est Ilerdae die 26 mensis Iulii anno 1936.

52. *Sennen López Cots*, natus die 21 mensis Ianuarii anno 1915 Barcinone, professionem religiosam emisit die 6 mensis Ianuarii anno 1932. Necatus est Ilerdae die 26 mensis Iulii anno 1936.

53. *Michaël Oscoz Arteta*, natus die 9 mensis Februarii anno 1912 in loco *Artazo*, Navarrensi in regione, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1930. Necatus est Ilerdae die 26 mensis Iulii anno 1936.

54. *Aloisius Plana Rabugent*, natus die 20 mensis Iulii anno 1914 in vico *La Cellera* prope Gerundam, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1931. Necatus est Ilerdae die 26 mensis Iulii anno 1936.

55. *Vincentius Vázquez Santos*, natus die 23 mensis Augusti anno 1915 in loco *Villada* prope Palentiam, professionem religiosam emisit die 25 mensis Augusti anno 1935. Necatus est Ilerdae die 26 mensis Iulii anno 1936.

56. *Antonius Casany Vilarrasa*, natus die 4 mensis Decembris anno 1895 in pago *Calldetenes* prope Barcinonem, professionem religiosam emisit ut frater coadiutor die 15 mensis Augusti anno 1920. Necatus est die 11 mensis Augusti anno 1936 in vico *San Pere dels Arquels*.

57. *Ioannes Prats Gibert*, natus die 26 mensis Octobris anno 1903 in loco *La Selva del Camp* prope Tarraconem, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1921 et presbyteratu auctus est die 22 mensis Decembris anno 1928. Necatus est die 15 mensis Augusti anno 1936 in loco *Montmaneu*.

58. *Ianuarius Piñol Ricart*, natus die 8 mensis Septembris anno 1914 in pago *Els Torms* prope Ilerdam, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1931. Necatus est die 27 mensis Augusti anno 1936 in loco *La Floresta*.

59. *Remigius Tamarit Pinyol*, natus die 15 mensis Februarii anno 1911 in pago *El Solerás* prope Ilerdam, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1927. Necatus est die 27 mensis Augusti anno 1936 in loco *La Floresta*.

60. *Aemilius Bover Albareda*, natus die 31 mensis Augusti anno 1868 in pago *Castellterçol* prope Barcinonem, professionem religiosam emisit die 1 mensis Octobris anno 1889 et presbyteratu auctus est die 6 mensis Ianuarii anno 1898. Necatus est die 20 mensis Augusti anno 1936 in loco *Cervera*.

61. *Iosephus Vidal Basells*, natus die 5 mensis Decembris anno 1908, in oppido *Santa Coloma de Queralt* prope Tarraconem, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1935. Necatus est die 22 mensis Augusti anno 1936 in loco *Navés*, prope Ilerdam.

62. *Henricus Cortadellas Segura*, natus die 8 mensis Novembris anno 1909 in pago *Olujas* prope Ilerdam, professionem religiosam emisit die 31 mensis Augusti anno 1926 et presbyteratu auctus est die 22 mensis Septembris anno 1934. Necatus est die 25 mensis Augusti anno 1936 in loco *Cervera*.

63. *Raimundus Rius Camps*, natus die 26 mensis Ianuarii anno 1913 in vico *Santa Fe* prope Ilerdam, professionem religiosam emisit un frater coadiutor die 15 mensis Augusti anno 1929. Necatus est die 2 mensis Septembris anno 1936 in loco *Cervera*.

64. *Iacobus Girón Puigmitjá*, natus die 11 mensis Octobris anno 1887 in pago *San Cristofoll les Fonts* prope Gerundam, professionem religiosam emisit die 21 mensis Novembris anno 1916 et presbyteratu auctus est die 15 mensis Martii anno 1919. Necatus est die 5 mensis Septembris anno 1936 in loco *Castelfollit de Riubregos* apud Barcinonem.

65. *Iulianus Villanueva Olza*, natus die 11 mensis Septembris anno 1869 in vico *Villanueva*, Navarrensi in regione, professionem religiosam emisit ut frater coadiutor die 11 mensis Aprilis anno 1898. Necatus est in pago *Su* apud Ilerdam die 1 mensis Septembris anno 1936.

66. *Petrus Sitjes Obiols*, natus die 17 mensis Aprilis anno 1900 in vico *La Cellera* prope Barcinonem, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1916 et presbyteratu auctus est die 6 mensis Iunii anno 1925. Necatus est in loco *San Martì de Tous,* prope Barcinonem, die 12 mensis Septembris anno 1936.

67. *Ioannes Maria Alsina Ferrer*, natus die 5 mensis Octobris anno 1874 in pago *Seva* prope Barcinonem, professionem religiosam emisit die 8 mensis Decembris anno 1900 et presbyteratu auctus est die 22 mensis Decembris anno 1907. Necatus est in loco *Castellbell y Vilar* apud Barcinonem die 16 mensis Septembris anno 1936.

68. *Antonius Perich Comas*, natus die 21 mensis Iunii anno 1911 in pago *Sant Jordi Desvalls* prope Gerundam, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1928. Necatus est in loco *Castellbell y Vilar* prope Barcinonem die 16 mensis Septembris anno 1936.

69. *Raimundus Roca Buscallá*, natus die 15 mensis Martii anno 1889 in pago *Alpens* prope Barcinonem, professionem religiosam emisist ut frater coadiutor die 7 mensis Iunii anno 1907. Necatus est die 28 mensis Septembris anno 1936 in loco *Cervera*.

70. *Ioannes Maria Buxó Font,* natus die 24 mensis Octobris anno 1879 in vico *Montcada* prope Barcinonem, professionem religiosam emisit die 25 mensis Ianuarii anno 1915 et presbyteratu auctus est die 19 mensis Septembris, anno 1920. Necatus est die 18 mensis Octobris anno 1936 in loco *Cervera*.

71. *Aloisius Jové Pach*, natus die 1 mensis Februarii anno 1872 Ilerdae, professionem religiosam emisit die 9 mensis Martii anno 1888 et presbyteratu auctus est die 29 mensis Februarii anno 1896. Necatus est die 18 mensis Octobris anno 1936 in loco *Cervera*.

72. *Heraclius Matute Tobías*, natus die 11 mensis Martii anno 1867 in pago *Alesanco* prope Lucronium, professionem religiosam emisit die 23 mensis Decembris anno 1884 et presbyteratu auctus est die 14 mensis Martii anno 1891. Necatus est die 18 mensis Octobris anno 1936 in loco *Cervera*.

73. *Iosephus Serrano Pastor*, natus die 24 mensis Martii anno 1899 in pago *Corella*, Navarrensi in regione, professionem religiosam emisit die 15

mensis Augusti anno 1915 et prebyteratu auctus est die 26 mensis Maii anno 1923. Necatus est die 18 mensis Octobris anno 1936 in loco *Cervera*.

74. *Franciscus Canals Pascual*, natus die 1 mensis Decembris anno 1891 in pago *Sant'Andrés de la Barca* prope Barcinonem, professionem religiosam emisit ut frater coadiutor die 21 mensis Novembris anno 1918. Necatus est die 18 mensis Octobris anno 1936 in loco *Cervera*.

75. *Bonaventura Reixach Vilaró*, natus die 20 mensis Aprilis anno 1860 in vico *Olost* prope Barcinonem, professionem religiosam emisit ut frater coadiutor die 19 mensis Martii anno 1888. Necatus est die 18 mensis Octobris anno 1936 in loco *Cervera*.

76. *Iosephus Ros Nadal*, natus die 14 mensis Octobris anno 1876 in vico *Artesa* prope Ilerdam, professionem religiosam emisit ut frater coadiutor die 8 mensis Decembris anno 1899. Necatus est die 18 mensis Octobris anno 1936 in loco *Cervera*.

77. *Michaël Rovira Font*, natus die 22 mensis Maii anno 1863 in Vico Ausunensi, professionem religiosam emisit ut frater coadiutor die 2 mensis Aprilis anno 1881. Necatus est die 18 mensis Octobris anno 1936 in loco *Cervera*.

78. *Iosephus Ausellé Rigau*, natus die 5 mensis Iulii anno 1913 in pago *La Cellera* prope Gerundam, professionem religiosam emisit die 27 mensis Septembris anno 1931. Necatus est die 18 mensis Octobris anno 1936 in loco *Cervera*.

79. *Evaristus Bueria Biosca*, natus die 21 mensis Iunii anno 1913 in pago *Montoliu* prope Ilerdam, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1930. Necatus est die 18 mensis Octobris anno 1936 in loco *Cervera*.

80. *Iosephus Loncán Campodarve*, natus die 18 mensis Aprilis, anno 1915, in vico *Azlor* prope Oscam, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1931. Necatus est die 18 mensis Octobris anno 1936 in loco *Cervera*.

81. *Emmanuel Solé Vallespí*, natus die 19 mensis Septembris anno 1913 in pago *Fayón* prope Caesaraugustam, professionem religiosam emisit die 24 mensis Septembris anno 1929. Necatus est die 18 mensis Octobris anno 1936 in loco *Cervera*.

82. *Emmanuel Font Font*, natus die 13 mensis Iunii anno 1878 in pago *Torrebesses* prope Ilerdam, professionem religiosam emisit die 15 mensis Septembris anno 1895 et presbyteratu auctus est die 5 mensis Iulii anno 1903. Necatus est die 19 mensis Octobris in loco *Cervera*.

83. *Iosephus Ribé Coma*, natus die 28 mensis Octobris anno 1893 in pago *Santa Colon de Centelles* prope Barcinonem, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1912 et presbyteratu auctus est die 29 mensis Maii anno 1920. Necatus est die 19 mensis Octobris anno 1936 in loco *Cervera.*

84. *Iulius Leache Labiano*, natus die 20 mensis Decembris anno 1908 in pago *Monreal* prope Pampelonem, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1925 et presbyteratu auctus est die 21 mensis Maii anno 1932. Necatus est die 19 mensis Octobris anno 1936 in loco *Cervera.*

85. *Franciscus Simón Pérez*, natus die 29 mensis Ianuarii anno 1916 in pago *Murchante*, Navarrensi in regione, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1932. Necatus est die 19 mensis Octobris anno 1936 in loco *Cervera.*

86. *Franciscus Solá Peix*, natus die 21 mensis Octobris anno 1912 in vico *San Joan de les Badeses* prope Gerundam, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1931. Necatus est die 19 mensis Octobris anno 1936 in loco *Cervera.*

87. *Antonius Elizalde Garbisu*, natus die 4 mensis Ianuarii anno 1914 in pago *Echauri*, Navarrensi in regione, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1932. Necatus est die 19 mensis Octobris anno 1936 in loco *Cervera.*

88. *Eusebius de las Heras Izquierdo*, natus die 16 mensis Decembris anno 1913 in vico *Gumiel del Mercado* prope Burgum de Oca, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1931. Necatus est die 19 mensis Octobris anno 1936 in loco *Cervera.*

89. *Constantinus Miguel Moncalvillo*, natus die 12 mensis Aprilis anno 1913 in vico *Quintanarraya* prope Burgum de Oca, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1932. Necatus est die 19 mensis Octobris anno 1936 in loco *Cervera.*

90. *Aemilius Pascual Abad*, natus die 5 mensis Decembris anno 1914 in pago *Milagros* prope Segobiam, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1932. Necatus est die 19 mensis Octobris anno 1936 in loco *Cervera*.

91. *Franciscus Milagro Mesa*, natus die 3 mensis Decembris anno 1869 Turiasone prope Caesaraugustam, professionem religiosam emisit ut frater coadiutor die 6 mensis Iunii anno 1887. Necatus est die 19 mensis Octobris anno 1936 in loco *Cervera*.

92. *Petrus Vives Coll*, natus die 23 mensis Septembris anno 1874 in vico *Pallejá* prope Barcinonem, professionem religiosam emisit ut frater coadiutor die 27 Decembris anno 1896. Necatus est die 19 mensis Octobris anno 1936 in loco *Cervera*.

93. *Iosephus Ferrer Escolá*, natus die 21 mensis Octobris anno 1878 in pago *Alsamora* prope Ilerdam, professionem religiosam emisit ut frater coadiutor die 15 mensis Augusti anno 1897. Necatus est die 19 mensis Octobris anno 1936 in loco *Cervera*.

94. *Dionysius Arizaleta Salvador*, natus die 8 mensis Februarii anno 1911 in pago *Guirguillano*, Navarrensi in regione, professionem religiosam emisit ut frater coadiutor die 15 mensis Augusti anno 1928. Necatus est die 19 mensis Octobris anno 1936 in loco *Cervera*.

95. *Ioannes Senosiain Zugasti*, natus die 15 mensis Maii anno 1911 in pago *Guirguillano*, Navarrensi in regione, professionem religiosam emisit ut frater coadiutor die 11 mensis Februarii anno 1929. Necatus est die 19 mensis Octobris anno 1936 in loco *Cervera*.

96. *Fernandus Castán Mesenguer*, natus die 1 mensis Aprilis anno 1915 in pago *Fonz* prope Oscam, professionem religiosam emisit ut frater coadiutor die 8 mensis Decembris anno 1932. Necatus est die 19 mensis Octobris anno 1936 in loco *Cervera*.

97. *Narcissus Simón Sala*, natus die 9 mensis Martii anno 1908 in pago *Fornells de la Selva* prope Gerundam, professionem religiosam emisit ut frater coadiutor die 15 mensis Augusti anno 1934. Necatus est die 19 mensis Octobris anno 1936 in loco *Cervera*.

98. *Franciscus Marco Martínez*, natus die 1 mensis Februarii anno 1917 il pago *Odón* prope Terulium, professionem religiosam ut frater coadiutor emisit die 11 mensis Iunii anno 1936. Necatus est die 19 mensis Octobris anno 1936 in loco *Cervera*.

99. *Nicolaus Campo Jiménez*, natus die 5 mensis Martii anno 1920 in pago *Salvatierra* prope Alavam, professionem religiosam ut frater coadiutor emisit die 11 mensis Iunii anno 1936. Necatus est die 19 mensis Octobris anno 1936 in loco *Cervera*.

VALENTIAE:

100. *Marcelianus Alonso Santamaría*, natus die 18 mensis Iunii anno 1906 in pago *Grañon* prope Lucronium, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1923 et presbyteratu auctus est die 21 mensis Iunii anno 1931. Necatus est die 13 mensis Augusti anno 1936 in loco *Alboraya*.

101. *Iosephus Ignatius Gordon de la Serna*, natus die 13 mensis Octobris anno 1902 in civitate *Jerez de la Frontera* prope Gades, professionem religiosam emisit die 20 mensis Maii anno 1923, presbyteratu auctus est die 22 mensis Septembris anno 1929. Necatus est die 13 mensis Augusti anno 1936 in loco *Alboraya*.

102. *Aloisius Francés Toledano*, natus die 16 mensis Februarii anno 1910 Matriti, professionem religiosam emisit die 31 mensis Augusti anno 1926 et presbyteratu auctus est die 26 mensis Maii anno 1934. Necatus est die 21 mensis Augusti anno 1936 in pago *Olocau*.

103. *Thomas Galipienzo Pelarda*, natus die 6 mensis Martii anno 1897 in loco *Cascante*, Navarrensi in regione, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1914 et presbyteratu auctus est die 21 mensis Maii anno 1921. Necatus est die 1 mensis Septembris anno 1936 in pago *Paterna*.

IN PORTU SANCTI ANDREAE:

104. *Ioachimus Gelada Hugas*, natus die 5 mensis Decembris anno 1881 in vico *Olot*, professionem religiosam emisit die 11 mensis Septembris anno 1898 et die 30 mensis Septembris anno 1906 presbyteratu auctus est. Necatus est die 14 mensis Octobris anno 1936 in pago *Torrelavega*.

105. *Isaac Carrascal Mozo*, natus die 11 mensis Aprilis anno 1896 in vico *Castrillo de Don Juan* prope Palentiam, professionem religiosam emisit die 15 mensis Augusti anno 1915 et presbyteratu auctus est die 26 mensis Maii anno 1923. Necatus est die 14 mensis Octobris anno 1936 in pago *Torrelavega*.

106. *Felix Barrio Barrio*, natus die 8 mensis Martii anno 1883 in loco *Villafranca Montes de Oca* prope Burgum de Oca, professionem religiosam emisit ut frater coadiutor die 19 mensis Martii anno 1899. Necatus est die 14 mensis Octobris anno 1936 in pago *Torrelavega*.

Fama martyrii Servorum Dei christiana in communitate est diffusa, hac re ab anno 1948 ad annum 2000 dioecesana Inquisitio apud Curias ecclesiasticas Barcinonensem, Valentinam, Santanderiensem, Vicensem, Ilerdensem, Celsonensem celebrata est. Istorum omnium iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum sigillatim est approbata et per Decretum diei 23 mensis Iunii 2000 omnes in unum coniunxit. Exarata *Positione*, die 24 mensis Martii anno 2015 Peculiaris Theologorum Consultorum Congressus, positivo cum exitu, celebratus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione die 6 mensis Decembris anno 2016 congregati, me Angelo Cardinale Amato praesidente, Servos Dei agnoverunt ob eorum fidem in Christum et in Ecclesiam interfectos esse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Matthaei Casals, Theophili Casajús, Ferdinandi Saperas et CVI Sociorum e Congregatione Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris a.D. 2016.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

ROMANA

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Cloeliae Merloni Fundatricis Instituti Apostolarum a Sacro Corde Iesu († 1861-1930)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Aspicient ad me. Quem confixerunt» (*Zach* 12, 10).

Serva Dei Cloelia Merloni cordis fideique visu particeps fuit casus illius qui amore transfigi sivit.

Haec famula Dei die 10 mensis Martii anno 1861, in Foro Livii, modesta e familia nata est. Tertio aetatis anno matre orbata est, pater autem novum coniugium iniit et, etiam cum sectae massonicae adhaesisset, multum rem familiarem coaluit.

Cloeliae alumna Sororum Savonense institutum incepit frequentare, sed ob valetudinis infirmitatem domum brevi tempore redire debuit. Pater eius ad institutionem attendit per praeceptorem, quem ei suppeditavit. Iuventutem suam Serva Dei serenis temporum morumque in adiunctis degit, quae tamen religioso adflatu omnino caruere. Cloelia vehementer percipere spiritualia inchoavit et in fide se confirmavit, cor suum autem gratiae actioni omnino pandit. Multum tamen id dolebat quod pater domus cum magistra clandestinum commercium haberet, hac re assidue pro eorum conversione orabat.

Cum animo in suo ardenter flagrabat religiosa sub disciplina vitam degere, Savonense coenobium ingressa est, tamen eius valetudinis infirmitate suo in vocationis proposito rursus impedita est, quin etiam anno 1893 phthisi correpta est, quae eam fere ad exitum vitae perduxit. Post sanationem sancti Aloisii Guanella consilio, cuius religiosam familiam ingressa erat, una cum amica Elisabetha Pederzini Viaregium iter fecit. Eis etiam tertia amica nomine Teresia D'Ingenheim accessit. Tusciae in oppido die 30 mensis Maii anno 1894 primus Apostolarum a Sacro Corde Iesu coetus constitutus est.

Tres sorores fundaverunt scholam, hunc ad finem domum relinquere debuerunt. Postea novas scholas sorores instituerunt aliis oppidi in regionibus. Serva Dei palatium emit, in quo pueri, parentibus orbati, sed etiam senes recepti sunt. Sorores ad christianam doctrinam instituendam pueris operam suam navabant. Recens Congregatio cito increbuit et frequens evenit. Opera sororum etiam extra Viaregium se propagaverunt.

Cloeliae autem patris morte et adversa fortuna cuius ineptus administrator causa fuit, Apostolae e Viaregio aegre discesserunt quasdamque operas destituere coactae sunt. Congregatio tamen non extinguebatur, sed etiam novo ardore ad operas Excellentissimi Domini Ioannis Baptistae Scalabrini, Placentini Episcopi, attenderunt, qui Apostolas direxit in missiones inter Italos, qui exteras in nationes, maxime in Brasiliam et in Foederatas Americae Septentrionalis Civitates, emigraverant.

Sicut Viaregii, etiam novis in missionibus impedimenta et contentiones non defuerunt: Matri Cloeliae falsa crimina intenderunt et se munere antistitae abdicare debuit suaque in communitate fere relegata vitam degit.

Ipsum nomen a Serva Dei inventum suae Congregationi verum fuit propositum totius suae vitae fide ac amore conditae. Christi in Corde illa summam omnium bonorum et fontem omnium actionum intuita est, scilicet Cor Christi cognoscendum amandumque erit propositum colendum aliisque communicandum secundum spiritualitatis reparatricis animum.

Mater Cloelia acris natura, id ad hunc finem convertere scivit et per eius vitae admodum sollicitum decursum, spiritum acceptionis et communionis in simplicitate et paupertate excoluit. Omnibus in adiunctis, quibus vitam degit, enixe civitati se conformavit et omnibus suis viribus pro loci Ecclesia operam suam constanti ac reverenti zelo navavit. Singularem curam sollicitudinemque erga pueros parentibus orbatos, aegrotos et denique pauperos ostendit. Eius vehemens alacritas, e fide et caritate repetita, altissimo orationis spiritu fulta est. Exercitium virtutum tali accuratissima interiori vita sua sponte profluebat.

Magna patientia et humilitate corporis et animi dolores, qui totius eius vitae fere perennes fuerunt, sustinuit et mysterium crucis intima fide participavit. Cloelia oratione, Eucharistiae adoratione, sacrorum librorum meditatione et denique cultu Mariano cotidie alebatur. Hoc intimum colloquium cum Domino et cum Virgine Maria inconcussam spem in ea sustentavit, quam illa variis exsitentiae vicissitudinibus experta est, scilicet e vocationis suae difficili cursu ad decoctionem, e contentionibus ecclesiasticis cum auctoritatibus ad amandationem e religiosa communitate, multa facta, secundum occulta Providentiae consilia, absolutam innocentiam eius a criminibus necnon singulare exercitium humanarum christianarumque virtutum ostenderunt.

Serva Dei, in integrum quoad famam restituta, Romae die 21 mensis Novembris anno 1930 mortali e vita discessit.

De fama sanctitatis a die 18 mensis Iunii anno 1990 ad diem 1 Aprilis anno 1998 apud Urbis Curiam Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 21 mensis Maii anno 1999 est approbata. Exarata *Positione*, consuetas secundum normas disceptatum est an Serva Dei virtutes heroum in modum exercuisset. Positivo cum exitu, die 20 mensis Octobris anno 2015 Peculiaris Theologorum Consultorum Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione diei 13 mensis Decembris anno 2016 congregati, me Angelo Cardinale Amato praesidente, Servam Dei heroicum in gradum virtutes theologales, cardinales et adnexas excoluisse agnoverunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Cloeliae Merloni, Fundatricis Instituti Apostolarum a Sacro Corde Iesu, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris a.D. 2016.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

MEDIOLANENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Arsenii a Trigolo (in saeculo: Iosephi Migliavacca) Sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum Fundatoris Congregationis Sororum Mariae Ss.mae Consolatricis (1849-1909)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Arsenius a Trigolo (in saeculo Iosephus Migliavacca), Sacerdos professus Ordinis Fratrum Minorum Cappuccinorum, Trigoli iuxta Cremonam die 13 mensis Iunii anno 1849 natus est, et sacro fonte nomine Iosephi lustratus. Cum vocationem suam quaereret seminarium Cremonense ingressus est et, expleta institutione, die 21 mensis Martii anno 1874 sacro ordine auctus est. Primis pastoralis muneris annis, cum omnino Deo se tradere cuperet, Societatem Iesu ingressus est primamque religiosam professionem emisit. Tamen ob quasdam contentiones cum superioribus Trigolum rediit et, Archiepiscopi Augustae Taurinorum rogatu, curam spiritualem Instituti Sororum Mariae Ss.mae Consolatricis suscepit, quarum fundator ab omnibus habetur. Sequentibus annis novo nomine Fratris Arsenii a Trigolo novitiatum Fratrum Minorum Cappuccinorum apud Mediolanensem provinciam incepit. Vota temporaria emisit et Bergomum missus est ut in spiritu iuvenes Fratres Cappuccinos moderaretur. Illic, praeter brevi tempore pro novo discessu, omnes fere annos sui ministerii pastoralis in cura Tertii Ordinis degit. Anno autem 1909 Servus Dei valetudinis molestias patefacere incepit. Iuxta Bergomense valetudinarium provinciale traductus, nocte diei 10 mensis Decembris anno 1909 aneurysmate cardiaco mortuus est. Eius exsequiae franciscana simplicitate magnaque populi participatione, quae de eius fama sanctitatis testimonium dedit, celebratae sunt. Summus Pontifex Franciscus anno 2016 heroicas virtutes eius agnovit.

Beatificationis respectu Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum miram quandam sororis, eiusdem Congregationis a Venerabili Servo Dei fundata, sanationem subiecit.

Res autem in loco v. d. *Verghera* iuxta Barentium anno 1947 evenit. Cum soror vicesimum quintum annum aetatis suae agebat, anno 1945 in sanatorium, in quo operam suam iam navabat, ob aegritudines polmonum recepta est. Adhibitis medicis curationibus, nulla fere mutatio comperta est, sed contra eius valetudo gradatim in deterius mutabatur, cum constans etiam

febris necnon abdominis dolor et conspicua tabes accederent, sequentibus mensibus etiam vomitio, cephalalgia, photophobia et acerrimae aegritudines accesserunt. In extrema anni 1946 parte, aegrota tantum tenuissimis liquidis cibariis vescebatur. Medici eius exitum iam proximum existimabant, hac re dederunt consilium ut iuxta domum dictam Beatam Iulianam Iriae pro aegroto extremis diebus assidendo reciperetur et in qua Sorores eiusdem Congregationis operam suam dabant. Illic in vere ac aestate anni 1947 ad mortem suam commentata est.

Aegrota iam ab initio suae infirmitatis deprecari incepit Venerabilem Patrem Arsenium, quem de fama cognovit in noviciatu, a magistra quae ipsa eum Fundatorem cognoverat. Una cum ea Consorores et alii se coniunxerunt. Die 17 mensis Octobris anno 1947, in ritu eucharisticae benedictionis, soror e lectulo, quo in sacello recumbebat, consurrexit et deambulare ad aram incepit, sanationem suam omnibus declarans. Etenim medicae inquisitiones, quae in ea adhibitae erant, absolutam dissolutionem omnium morborum, qui eam fere ad mortem perduxerant, necnon restitutionem omnium functionum corporis, quae antea laesae erant, demonstraverunt. Paulo post infirma omnino demissa est et ad suam communitatem bona valetudine et sine ulla sequenti menda redire potuit.

Evidens est concursus temporis et consequentia inter Venerabilis Servi Dei invocationem et sororis sanationem, quae deinceps naturali socialique vita pollens, sana fuit.

De hac sanatione mira aestimata apud Curiam metropolitanam Mediolanensem a die 14 mensis Decembris anno 1999 ad diem 4 mensis Aprilis anno 2000 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 18 mensis Maii anno 2007 est approbata. Medicorum Consilium huius Dicasterii in Sessione diei 25 mensis Februarii anno 2016 declaravit sanationem celerem, perfectam, constantem et ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse. Die 29 mensis Septembris anno 2016 Congressus actus est Peculiaris Theologorum Consultorum, positivo cum exitu. Die 17 mensis Ianuarii anno 2017 Ordinaria in Sessione Patres Cardinales et Episcopi se congregaverunt, me Cardinale Angelo Amato praesidente. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota

Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servi Dei Arsenii a Trigolo (in saeculo: Iosephi Migliavacca), Sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum, Fundatoris Congregationis Sororum Mariae Ss.mae Consolatricis, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione cuiusdam sororis a « TBC polmonare sinistra con estensione postprimaria a livello enterico e peritoneale. Grave deperimento organico e stato cachettico ».*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 20 mensis Ianuarii a.D. 2017.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

BRIXIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Luciae ab Immaculata (in saeculo: Mariae Ripamonti) Sororis professae e Congregatione Ancillarum a Caritate (1909-1954)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Ancilla ad caritatem pervenit nec amplius sui ipsius in dicione vel in dominio est; iuventus, valetudo, commoda, forsitan sanguis et vita, seu breviter, tota persona huic virtuti praestat et, si aliquid donandum adhuc extiterit, hoc etiam caritatis in arbitrio erit» (Sancta Maria Crucifixa Di Rosa).

Verba haec a fundatrice Ancillarum a Caritate claris litteris in corde Servae Dei Luciae ab Immaculata (in saeculo: Mariae Ripamonti) insculpta sunt. Hac caritatis imagine allecta, Serva Dei sequelae Christi omnino se dedit et, fidenter gratiae actioni se committens, ad plenitudinem communionis cum Domino pervenit.

Serva Dei Arquatae Leuci hodie in agro Comensi in Italia die 26 mensis Maii anno 1909, quinta e secundis patris Ferdinandi nuptiis cum Ioanna Pozzi, nata est. Sacro fonte quattuor dies post suum ortum lustrata est. Eius modesta familia ferventi religioso cultui non indulgebat, cum pater Ferdinandus in officina operaretur et mater Ioanna petentium in domibus domesticis muneribus fungeret. Maria, seduli parochi Ioannis Piatti ad scholam educata et alta iam a puerita magnum ostendit amorem erga Dominum, qui deinde totam vitam eius direxit.

Suae christianae institutionis in cursu die 8 mensis Maii anno 1916 primitus eucharisticam ad mensam iuxta paroeciam Sanctorum Georgii, Catherinae et Aegidii accessit atque chrisma e manibus Cardinalis Andreae Ferrari in ecclesia Leuciensi praeposituræ die 29 mensis Septembris anno 1918 accepit. Primas tantum aulas apud scholas publicas sui natalis pagi frequentaverat, ubi usque ad annum 1932 commorata est, et pietate ac caritate praestitit ut socia actuosissima fieret Actionis Catholicae in paroecia et fervore in Sodalitio Filiarum Mariae secundum praecipua postulata: orationem et ministerium, meditationem et sacrificium.

In officina lanificii primum, deinde in officina ad lumina electrica conficienda operam exercuit, ut magnae suae familiae subveniret eandemque sustentaret. Animata ingenii modestia, suavitate atque amore benigno et circumspecto, Maria multis in circumstantiis has virtutes ostendere non

neglexit: nam patrem suum expleto labore domum deducebat, ne is belli in tempore cauponas frequentaret et illic verba pronuntiaret, quae in tantis rerum discriminibus seditiosa viderentur; comites suas difficultatibus et doloribus afflictas confirmabat, assidue parvos benignitatis gestus conficiebat et exquisitam caritatem domi in fratres et sorores intendebat.

Quaedam dolorosa certamina eius vitam magna in familia denotaverunt, maxime ob paupertatem, ob minoris sororis animi affectionum difficultates et denique ob cuiusdam fratris inquietos mores. Cotidiana oratione, silentio et sacrificio Serva Dei se parabat ad Domini vocationem, quam clarius in dies animadvertebat.

Initio anni 1932, cum Sororis Mariae Crucifixae Di Rosa Ecclesia virtutum heroicitatem agnovisset, petivit ut Institutum Ancillarum a Caritate Brixiae ingrederet, quas per quandam sororem e pago Arquata nativam cognoverat. Maria, expleta institutione, die 30 mensis Octobris anno 1935 professione temporaria Domino se consecravit nomen Sororis Luciae ab Immaculata sumens ac deinde die 13 mensis Decembris anno 1938 vota perpetua emisit. Iuxta domum maiorem Instituti semper vixit omnes recipiens et cordis laetitia ministrans illis, qui coenobii ostium pulsarent. Quod autem secundo mundano bello perdurante crebrius evenit, cum coenobii hospitum cubicula signum et refugium multis corporis et spiritus muneribus egentibus facti sunt.

Soror Lucia laudabili in modo ministerium suum exercuit erga sacerdotes qui frequenter ad multa spiritualia exercitia agenda apud Instituti domum maiorem perveniebant. Illic suavitates suae caritatis innumeras exhibuit ac bonitatis vestigia, quorum supersunt testimonia multorum sacerdotum, qui ad eam accesserant. Omnibus in rerum adiunctis soror Lucia Domini vultum in Superioribus et in consororibus suis necnon in exercitio cotidianarum virtutum exquisivit. Victimam redemptionis pro peccatorum salute se fecit.

Tota eius vita in amore perfecta est, quem, Deo fultum, humillimo in ministerio primum erga familiam et deinde religiosam erga communitatem prodidit, se ad hominum necessitates acclinans, quibus suo in itinere occurreret. Omnes opportunitates propitium tempus ei fuerunt ut ad essentialitatem amplius attenderet: orationis experientia, eucharistica et mariana devotio, intima coniunctio cum Deo, virtutum exercitium. Haec omnia eveniebant simplici in persona, matura et aequa, firmae et serenae spiritualitatis, magis magisque ad Crucis mysterium conformata. Parentum

mortis dolore valde affecta est: pater enim anno 1940 decessit materque autem anno 1953; utrumque constanter oratione prosecuta est.

Soror Lucia profecto consumabatur sua constanti benignitate in ministeriis gerendis. Graviter aegrotans, in valetudinario Instituti pagi v.d. *Ronco* iuxta Brixiam curata, die 4 mensis Iulii anno 1954, vix quadragesimum quintum annum agens aetatis suae, sanctitatis fama circumfusa, mortali e vita excessit, paucos dies post Fundatricis Sanctae Mariae Crucifixae canonizationis, quae Romae die 12 mensis Iunii eiusdem anni evenerat.

Hac fama sanctitatis Servae Dei brevi tempore non tantum inter consorores, sed etiam inter omnes, qui eam cognoverant, diffusa est. Hac re, a die 1 mensis Iunii anno 1993 ad diem 25 mensis Maii anno 1995 iuxta Curiam ecclesiasticam Brixiensem Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 10 mensis Novembris anno 1995 est approbata. Exarata *Positione*, consuetas secundum normas disceptatum est an Serva Dei heroum in modum virtutes excoluisset. Positivo cum exitu, die 10 mensis Martii anno 2016, Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi die 21 mensis Februarii anno 2017 Ordinaria in Sessione congregati, me Angelo Cardinale Amato praesidente, Servam Dei virtutes theologales, cardinales et adnexas heroicum in modum exercuisse agnoverunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Luciae ab Immaculata* (*in saeculo: Mariae Ripamonti*)*, Sororis professae e Congregatione Ancillarum a Caritate, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 27 mensis Februarii a.D. 2017.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

INDORENSIS

Beatificationis seu Declarationis Martyrii Servae Dei Reginae Mariae Vattalil (in saeculo: Mariae) Sororis professae Congregationis Clarissarum Franciscanarum († 25.II.1995)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Spiritus Domini super me; ... propter quod unxit me evangelizare pauperibus, misit me praedicare captivis remissionem» (*Lc* 4, 18).

Hoc Domini verbum vitam et operam Servae Dei Reginae Mariae Vattalil evangelice compendiat, quae ab omnibus nomine Sororis Rani cognita erat, soror erat enim professa Congregationis Sororum Clarissarum Franciscanarum. Generose respondit Magistri voci eximiumque exemplum fidelitatis religiosae vocationi praebuit. Petivit in beneficii loco et gratiae ut ardentissima missionaria esset. Fundamentum totius vitae apostolicae fuit vita interior Sponsi divini artissima in communione. Christi amore capta, ad eum se accomodavit, gestus et verba illius sumendo, usque ad heroicam sanguinis effusionem vitam largiendo.

Serva Dei in municipio v.d. *Pulluvazhy,* in finibus archidioecesis Ernakulamensis-Angamaliensis in Malabaria (India), e Paily et Eliswa Vattalil parentibus catholicis secundum ritum Syrum-Malabarensem die 29 mensis Ianuarii anno 1954 nata est. Die 5 mensis Februarii anno 1954 iuxta loci paroeciam Sancti Thomae Mariae nomine sacro fonte lustrata est. Iam a pueritia pulchritudinem orationis comprehendit. Christianam initiationem perfecit cum die 30 mensis Aprilis anno 1966 ad sacram mensam primitus accessit et Confirmationem suscepit. In pueritia sedula fuit in catechesim audiendo, nava in studiis et prompta ad patrem auxiliandum in arvorum operibus et matrem in domesticis. Admirabili spiritu humilitatis cum omnibus colloquebatur.

Die 3 mensis Iulii anno 1972 in pago *Kidangoor* Congregationem Sororum Clarissarum Franciscalium ingressa est, cuius institutum in adulescentia frequentaverat. Utroque expleto et postulatus et novitiatus tempore, die 1 mensis Maii anno 1974 primam religiosam professionem emisit. Sequenti anno missionis causa ad regiones Indiae septentrionales in dioecesim Biinorensem missa est, ibique totam suam vitam perfecit, apostolatus operibus zelanter se tradens. Die 22 mensis Maii anno 1980 professionem religiosam perpetuam emisit et anno 1982 laurea in re sociologica potita est.

Mense Maio anno 1983 ad locum *Odgadi* in dioecesim Satnensem commigrare iussa est, ibique pro materiali ac spirituali bono incolarum operam suam praestare incepit. Suo apostolatus in ministerio summo zelo consulebat pueris derelictis et mulieribus, quibus feminarum dignitatem in Ecclesia custoditam ostendebat. Maxime omnium afflictos et destitutos dilexit. Propositum eius erat dolores lenire, hominum corda consolari, pacem conciliare, conscientias excolere, iustitiam fovere, veritatem tueri, scilicet pauperes Christi amore nutrire. In oratione continuam vim inveniebat ut omnes aerumnas superaret. Eius spiritualitas franciscana Christum ut fundamentum constituit et hoc per suam sententiam significaret: «Iesus omnibus et omnes Iesu».

Mense Maio anno 1992 extremum munus ei commissum est iuxta coenobium dictum «Domus Amoris» in pago *Udainagar* in Indorensi dioecesi, summa alacritate a consororibus accepta est. Etiam illic, eius adventu, valde increbuit actuositas missionaria. Serva Dei caritate heroica incitata operas multiplicavit quae vitae dignitatem pauperum meliorem efficere studuerunt. Maxime valida fuit constitutio cooperativarum societatum ut arca parsimoniae essent ad pecuniam sine feneratione suppeditandam.

Haec evangelica actio humanae promotionis, quae veritate et pulchritudine fidei eo fulgebat ut etiam quasdam conversiones ad Ecclesiam generaret, in se convertit odium latifundistarum ac feneratorum, qui hoc modo egenos vexare nequebant. Istis rerum discriminibus heroico modo fortitudinis et iustitiae Sororis Rani virtutes praestiterunt, quae consorores suas exhortabatur talia dicens: «Quis pauperes consuleret si nosmet religiosae metuamus? Nonne et ipsi filii Dei sunt?». Difficultates ei metum non incusserunt, sed contra eam reddiderunt generosiorem in sui donum: «Pro certo habeo delectam esse pro pauperibus et oppressis. Felix sum cum pro iis operam praesto, quia et ipsi sunt filii Dei, nobis fratres et sorores». Odium erga Sororem Rani et contra actionem eius pro Dei Regno acrius factum est cum quosdam catholicos, insidiis deprehensos, e carcere dimittere valuit. Eius inimici statuerunt ergo eam de medio tollere diabolicumque suum consilium ad effectum perduxerunt.

Mane diei 25 mensis Februarii anno 1995 Serva Dei e pago *Udainagar* ad Indore profecta est, cum in raeda cursuali erat iter faciens ad Indore a quibusdam sicariis ferociter interfecta est. Illa e vita excessit nomen Iesu semel atque iterum dicens. Eius corpus pugione plus quam quinquagies et quater percussum in viae margine relictum est. Nuntius eius occisionis statim diffusus est et in omnibus animi perturbationem et motus generavit. Milia hominum, etiam non catholici, se contulerunt saltem eius corporis obsequii gratia. Mane diei 27 mensis Februarii eius exsequiae cum participatione

nonnullorum Episcoporum et multorum sacerdotum celebratae sunt. Expletis exsequiis, constituta est funebris pompa, quae percurrit plus quam centum chilometra ab Indore usque ad *Udainagar,* cuius particeps fuit magna copia personarum omni aetate Servae Dei laudes canentium, quae pro amore pauperum, in quibus vultum Christi Redemptoris intuebatur, mortua est.

Martyrium Sororis Reginae Mariae ex evangelicis praeceptis concluditur cum homicidae veniam sororis familiares et consorores Congregationis Franciscanarum Clarissarum concesserunt ut extenderetur longa successio operum misericordiae, quae in vita Serva Dei fecerat.

Mater et soror pauperum, apostola reconciliationis Soror Regina Maria suam terrenam missionem explicuit soli confidens Deo, qui ei fuit tota vis totaque spes: «Pater, debilis sum et non sum ex mundo heroum; auxiliare mihi ut intelligam sicut te uti iis, quae in mundo debilia sunt ad fortes decipiendos... Benedic meos humiles conatus, ut per meam vitam nomini tui gloriam praebere possim».

Inquisitio dioecesana *super martyrio* in dioecesi Indorensi a die 29 mensis Iunii anno 2005 ad diem 28 mensis Iunii anno 2007 celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 27 mensis Novembris anno 2009 est approbata. Exarata *Positione,* die 9 mensis Februarii anno 2016 positivo cum exitu Congressus Theologorum Consultorum habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione diei 21 mensis Martii anno 2017 congregati, me Angelo Cardinale Amato praesidente, Servam Dei agnoverunt ob suam fidem in Christum et in Ecclesiam interfectam esse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa, Servae Dei Reginae Mariae Vattalil* (*in saeculo: Mariae*)*, Sororis Professae Congregationis Sororum Clarissarum Franciscanarum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 23 mensis Martii a.D. 2017.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

SORANAE-CASSINENSIS-AQUINATENSIS-PONTISCURVI

De concathedralis erectione.

DECRETUM

Ut spirituali Populi Dei bono aptius consulatur utque pastorale suum ministerium efficacius adimplere valeat, Exc.mus P.D. Gerardus Antonazzo, Episcopus Soranus-Cassinensis-Aquinatensis-Pontiscurvi, ab Apostolica Sede expostulavit ut templum in urbe Cassinensi exstans, Deo in honorem SS.mi Salvatoris, Sanctae Mariae Assumptae et Sancti Germani dicatum et Ecclesiam Matrem nuncupatum, ad dignitatem et fastigium Ecclesiae Concathedralis eveheretur.

Summus Pontifex Franciscus, Divina Providentia P.P., de consilio Congregationis pro Episcopis, praehabito favorabili voto Exc.mi P.D. Æmilii Pauli Tscherrig, Archiepiscopi titulo Volitani et in Italia Apostolici Nuntii, oblatis precibus benigne annuendum censuit.

Quapropter suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti Congregationis pro Episcopis Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, decernit ut, servata dioecesis Soranae-Cassinensis-Aquinatensis-Pontiscurvi Cathedralis ecclesiae dignitate, memoratam Ecclesiam Matrem titulo ac fastigio Concathedralis ecclesiae condecoretur, cum omnibus iuribus, honoribus et privilegiis ac oneribus et obligationibus quae huiusmodi ecclesiis sunt propria.

Ad haec perficienda Congregatio pro Episcopis memoratum Exc.mum P.D. Æmilium Paulum Tscherrig, Nuntium Apostolicum, deputat, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem Congregationem, ubi primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Datum Romae, ex Aedibus Congretationis pro Episcopis, die 9 Iulii 2018.

Marcus Card. Ouellet
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Ilson de Jesus Montanari
A Secretis

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Franciscus Pp., per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit Praesules:

die 26 Iunii 2018. — Titulari episcopali Ecclesiae Suavensi, R.D. Iosephum Tolentino Calaça de Mendonça, Funchalensem presbyterum, hucusque vices gerentem rectoris studiorum Universitatis Catholicae Lusitanae, Archivistam et Bibliothecarium Sanctae Romanae Ecclesiae nominatum, cum archiepiscopali dignitate.

die 7 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Tapacolensi, Exc.mum D. Iacobum Calderón Calderón, hactenus Episcopum titularem Iomnitensem et Auxiliarem Zamorensem in Mexico.

die 9 Iulii. — Ordinariatui Militari Magnae Britanniae, Exc.mum D. Paulum Iacobum Mason, hactenus Episcopum titularem Scalholtensem et Auxiliarem archidioecesis Southvarcensis.

die 10 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Gemellensi in Byzacena, R.D. Olivarium C. Buco, e clero dioecesis Antipolensis ibique hactenus paroeciae Nostrae Dominae Lucis curionem, quem deputavit Episcopum Auxiliarem eiusdem dioecesis.

die 11 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Girardotensi, Exc.mum D. Iacobum Muñoz Pedroza, hactenus Episcopum Araucensem.

— Coadiutorem dioecesis Sancti Iosephi in California, Exc.mum D. Ansgarium Cantú, hactenus Episcopum Cruciensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Arbensi, R.D. Iulium Caesarem Souza de Jesus, e clero Teresianae archidioecesis ibique hactenus paroeciae Iesu Infanti de Praga dicatae curionem, quem deputavit Episcopum Auxiliarem archidioecesis Fortalexiensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Castabalensi, R.D. Valdemirum Vincentium Andrade Santos, e clero Aracaiuensis archidioecesis eiusdemque hactenus Vicarium Generalem, quem deputavit Episcopum Auxiliarem archidioecesis Fortalexiensis.

die 16 Iulii 2018. — Metropolitanae Ecclesiae Capitis Haitiani, Exc.mum P.D. Launay Saturné, hactenus Episcopum Iacmeliensem.

die 24 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Saltensi in Uruguay, R.D. Ferdinandum Michaëlem Gil Eisner, e clero dioecesis Merlensis-Morenensis ibique hactenus parochum et in Seminario Interdioecesano in urbe Moronensi spiritus moderatorem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Medianensi Zabuniorum, R.D. Paulum Alfonsum Jourdán Alvariza, e clero Fodinensis dioecesis ibique hactenus curionem, quem deputavit Episcopum Auxiliarem archidioecesis Montisvidei.

die 25 Iulii. — Archiepiscopali Ecclesiae Bituricensi, Exc.mum P.D. Hieronymum Beau, hactenus Episcopum titularem Privatensem et Auxiliarem archidioecesis Parisiensis.

die 27 Iulii. — Archiepiscopali Ecclesiae Camerinensi-Sancti Severini in Piceno, R.D. Franciscum Massara, e clero Miletensis-Nicotriensis-Tropiensis dioecesis ibique hactenus Sancti Pantaleonis Martyris paroeciae curionem.

— Cathedrali Ecclesiae Bugellensi, R.D. Robertum Farinella, e clero dioecesis Eporediensis ibique hactenus curionem ecclesiae Cathedralis, Vicarium Episcopalem pro Vita Consecrata et Cancellarium Episcopalem.

— Cathedrali Ecclesiae Tehuantepecensi, Exc.mum P.D. Crispinum Ojeda Márquez, hactenus Episcopum titulo Dumiensem et Auxiliarem Mexicanae archidioecesis.

die 28 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Forontonianensi, R.D. Dagobertum Campos Salas, Tilaranensi-Liberiano e clero hactenusque Nuntiaturae Consiliarium, quem nominavit Nuntium Apostolicum, cum archiepiscopali dignitate.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre ha incontrato i Capi delle Chiese e delle Comunità cristiane del Medio Oriente a Bari, nel giorno 7 luglio.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Francesco ha nominato:

28 luglio 2018 Il Rev. Mons. Dagoberto Campos Salas, Consigliere di Nunziatura, *Nunzio Apostolico in Liberia,* elevandolo in pari tempo alla sede titolare di Forontoniana, con dignità di Arcivescovo.

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Francesco ha nominato o confermato:

10 luglio 2018 S.E.R. Mons. Joseph Augustine Di Noia Segretario aggiunto della Congregazione per la Dotrina della Fede *donec aliter provideatur.*

14 » » Le Loro Em.ze i Signori Cardinali: S.B. Louis Raphael I Sako, Patriarca di Babilonia dei Caldei, Capo del Sinodo della Chiesa Caldea (Irak); Désiré Tsaharazana, Arcivescovo di Toamasina (Madagascar); Charles Maung Bo, S.D.B., Arcivescovo di Yangon (Myanmar); John Ribat, M.S.C., Arcivescovo di Port Moresby (Papua Nuova Guinea), *Presidenti Delegati*, in vista della XV Assemblea Generale Ordinaria del Sinodo dei Vescovi sul tema: *I giovani, la fede e il discernimento vocazionale.*

30 » » S.Em.za il Signor Card. Giuseppe Verrsaldi Prefetto della Congregazione per l'Educazione Cattolica *donec aliter provideatur.*

3 agosto » S.Em.za il Signor Card. Konrad Krajewski Elemosiniere di Sua Santità *donec aliter provideatur.*

NECROLOGIO

10	luglio	2018	Mons. José Maria Setién Alberro, Vescovo em. di San Sebastian (*Spagna*).
11	»	»	Mons. Giovanni Marra, Arcivescovo Metropolita em. di Messina-Lipari-S. Lucia del Mela (*Italia*).
»	»	»	Mons. Richard J. Garcia, Vescovo di Monterey in California (*Stati Unti di America*).
22	»	»	Mons. Joseph Oyanga, Vescovo em. di Lira (*Uganda*).
23	»	»	Mons. Pierre Pican, Vescovo em. di Bayeux (*Francia*).
»	»	»	Mons. Raymond G. Hunthausen, Arcivescovo em. di Seattle (*Stati Unti di America*).
27	»	»	Mons. Fiachra O' Ceallaigh, O.F.M., Vescovo tit. di Tre Taverne, Ausiliare em. di Dublino (*Irlanda*).
29	»	»	Mons. Antonio José Rafael, Vescovo em. di Bragança-Miranda (*Portogallo*).
31	»	»	Mons. Bassano Stafferi, Vescovo em. di La Spezia (*Italia*).
3	agosto	»	Mons. Raffaele Castielli, Vescovo em. di Lucera-Troia (*Italia*).